




MARCELLVS MASTRILLVS
NEAPOLITANVS SOC. IESV.
*Quis mihi tribuat ut ego moriar pro Te.*
II. Reg. XVIII.

IHS

Pro Fide Christi interemptus est
Nangasachij XVII. Oct. A. MDCXXXVII.
Aetatis XXXIV.

V. Kilian f.



P. MARCELLVS

# MASTRILLVS,

NEAPOLITANVS,
Societatis IESV.

*Ex Marchionum S. Marciani familia.*

Año M.DC.XXXIV. à S. FRANCISCO XAVERIO, ingenti miraculo, è lethali morbo vitæ redditus:


ANNO M.DC.XXXVII. IN IAPONIA pro Fide Catholica exquisitis tormentis interemptus.

A R. P. IOANNE EVSEBIO NIEREMBERGIO EX AVTHENTICIS Instrumentis calamo Hispanico luci datus.

Nunc ab alio eiusdem Societatis latino Idiomate Orbi propositus.


ADDITO LXXIX. MARTYRVM Iaponensium syllabo. Et Capitum ac Rerum Indicibus.


*Cum facultate Superiorum.*



DILINGÆ,
*FORMIS ACADEMICIS.*

ANNO M.DC.XLVII.





ILLVSTRISSIMO
AC REVERENDISSIMO
Domino D.

# MARQVARDO
S. ROMANI IMPERII
PRINCIPI;
DIOECESIS
AICHSTADIANÆ
SVPREMO
PRÆSVLI

*Domino suo Clementißimo, Obseruandißimo.*



Ertius iam supra decimum annus euolutus est, *ILLVSTRISSIME AC REVERENDISSIME PRINCEPS, DOMINE CLEMENTISSIME*, quo gloriosæ & immortalis memoriæ Vir, *MARCELLVS MASTRILLVS*, ex Illustrissimâ,

mâ, apud Italos, Marchionum familiâ oriundus, Magni illius Indiarum, Iaponúmque Apostoli, & ex celeberrimo (quod Heroicorum factorum suorum inclitissimâ congerie conciliauit sibi) Nomine, Orbi vtriq; notissimi *FRANCISCI XAVERII*, salutifero interuentu, & manu felicissimè Medicâ, præsentissimæ mortis, prodigio propè inaudito, faucibus ereptus, ac Vitæ integerrimè redditus fuit.

Sed Triennium inde vix intercesserat, quo *MARCELLUS* noster ardentissimis suis Votis velificatus, incitante eodem diuino Sospitatore suo, in Indias, & ad Iapones delatus quidem fuit, at in hospitam istam terram pedibus vixdum attigerat, & illico à ferocissimi Tyranni crudissimo satellitio comprehensus, diro ferro constrictus, per tormenta immanitate suâ plùs quàm truculenta ac barbara neci datus est.

Quænam Heros iste, tempore non longo, longâ tamen, & æternaturâ recor-

cordatione, digniſſima geſſerit, quàm atroces Orci furores, ac iras in ſeſe concitârit; quos(patrocinante Xauerio ſuo) & quàm obſtupeſcendos, de cælo, fauores exceperit: quàm ſalutaris illius per terras ac maria tranſmiſſio fuerit omnibus ijs, quibus optabilis illa ſors obtigit, vt homini præſentibus eſſe licuerit: quã imperterrito, & plus quàm maſculo animo verè crudelia ſupplicia, in Fidei orthodoxæ causâ exhauſerit, breui hoc libello demõſtratum imus. Factum hoc quidem eſt per alios abundè, & quidem diuerſis in linguis iam ſepties, ſed talia profectò ſunt, quæ de Viro hoc in litteras dari poſſunt, vt decies etiam repetita ſint placitura.

Hunc itaq; fortiſſimum Chriſti Athletam, ad *ILLVSTRISSIMAM AC REVERENDISSIMAM CELSITVDINEM TVAM*, (ſimul pro ineuntis proximè *NOVI ANNI* fauſtiſſimo Auſpicio, quod vt nomine noſtro de cælo *TIBI MARCELLVS* noſter largiſſimè precetur, & pleniſſimè impetret, ex animo voue-

mus) ſaltem in hac chartâ, cùm aliter nequeamus, ablegare placuit, nullo apud nos dubio relicto, quin toti Patriæ noſtræ perſpecta & conteſtata *Humanitas Tua*, facilem ei omnino, & benignum ſit aditum conceſſura, & inter ſui ſimiles locum idoneum clementiſſimè indulſura.

Colloquetur Ille horis ſuccisiuis, & à grandioribus negotijs *TIBI* vacuis, pro eâ, quam ſemper præſetulit amabili *Comitate*, non inamœnè, nec etiam inutiliter. Lubet erectâ mentis acie altiora, & æternitatem, in cuius limine ſtamus, ſpectantia, *vti quidem laudabiliſſimè quotidie factitas*, penitiùs introſpicere? obſecundabit Iſte Volentiſſimus, rimam non paruam, imò oſtia plena pandet, per quæ clariùs illa, affuſis inde micantibus radijs, eluceſcant.

Placet ſocias adipiſci manus, & recta ſectari veſtigia, quibus arduum illud, ad DEITATIS celſiſſimum Domicilium, iter expeditiùs reddatur & facilius, & quæ *TVA prima & à nemine*

*non vehementer imitabilis Cura est*, inoffenso pede calcetur? Producet magnam *DEI MATREM*, monstrabit *XAVERIOS*, & plures *TIBI* præsentes sollicitè sistet, quibuscum Viam hanc securissimè ambulare, & currere etiam liceat.

Afficit subinde, & fodicantes ingerit curas, rerum humanarum, vti nunc est, deterrimus cursus, & status illætabilis? Concinet Iste *TECVM*, methodúmque ac modos, quibus *TV iam antè sublimior istis omnibus incedis, & iniquioris fortunæ etiam grandiores ictus vel declinare, & à commissâ TIBI gente remotiùs auertere, aut magnanimus & imperterritus cordatissimè exantlare didicisti, atque talem toti Romano Imperio luculenter TE hactenus exhibuisti*; eandem dico methodum, *quâ fortissimè assuetus iam es*, & ipse proferet, & quà porrò insistendum sit, non minore cum efficacia, quàm suauitate promptissimus suppeditabit.

Patere igitur, *ILLVSTRISSIME AC REVERENDISSIME PRINCEPS*, Marcellum nostrum *Arcis TVÆ VVilibaldi-*

*na* ſpectatiſſima munimenta ſubire, eúmque ſerenis ac beneuolis oculis, quales & Societati noſtræ vniuerſæ, & *huic maximè præ alijs Collegio & Academiæ* ſemper adhuc oſtendiſti, contuêre: habiturus in hoc & ſolertem *Vigilem*, & certè non otioſum *Propugnatorem*: In Nobis verò ſæpius iam conteſtatæ *Beneficentiæ TVÆ*, non quidem quales *Merita TVA* exigunt, ſed quales nos præſtare facultas vnquam fuerit, nunquam ceſſaturos Præcones. Dilingæ, Cal. Decembris, Anno M. DC. XLVII.

Illuſtriſſimæ & Reuerendiſſimæ Celſitudinis TVÆ

*Humillimè deuotum*

Collegium Dilinganum, Societatis IESV.



# AD LECTOREM.



*Eneuole Lector: Manifestum est hoc, & passim omnibus ijs notum, qui voluendis Historijs horas & dies subinde consecrant, in verâ DEI, quam vocamus, Militante Ecclesiâ, semper magni æstimatos & habitos fuisse illos, qui pro Religionis & Fidei Orthodoxæ contestatione, formidanda sæpe supplicia, ipsámque adeò mortem constanter pertulerunt. Hinc tales Christi Martyres indigetantur, quòd videlicet sanguine suo Testimonium reddant Christo, dignissimum hunc esse, sub cuius vexillo (quod aliud non est, nisi* Crux *ipsa, quam Iste cruore suo purpurauit) eousque militent & decertent, vt sanguinem potius omnem, & hinc charissimam alioquin vitam profundere malint, quàm à Signis huius Ducis sui sacrilegè profugere.*

*Vt insuper toti, quem Sol irradiat, Mundo demonstrent, gloriosum DEVM nostrum, ceu Vitæ necísque supremum Dominum, dignissimum esse, vt ad hoc contestandum Victimæ cadant & Sacrificium Deo fiant: Supernam itidem, strenuè decertantibus promissam Coronam plenissimè mereri, pro quâ obtinendâ nulli labori, nulli periculo,*

)( 5 quan-

*quantumuis ſanguine mixto, parcatur. Quò denique alij Mortales extimulentur fortiter, & excitentur, vt & Ipſi quadantenus ſaltem veſtigia horum ſequantur, Deóque & Cœlo dignum quid audeant.*

*Cùm itaque extremis hiſce temporibus magnus DEVS in Marcello noſtro, hæc omnia & plura alia, quæ ad eruditionem noſtram planè ſalutarem mirificè conducibilia eſſe poſſunt, clariſſimè oſtenderit, operæ pretium facturos nos eſſe putauimus, ſi pro bono publico, & inprimis DEI gloria, laborem hunc noſtrum Tibi, optime Lector, conſignaremus. Tu vale, & quæ hîc legeris, admirare, ſed & ea, vbi facultas fuerit, imitare.*

*Neq; enim hæc noſtra duntaxat, aut recens excogitata eſt admonitio, ſed magno illi Eccleſiæ lumini, S. Auguſtino familiaris, quando in Sermone quadrageſimo ſeptimo de Sanctis hæc inter alia ſedulus inculcat.* Quotieſcunque Fratres chariſſimi, Sanctorum Martyrum ſolennia celebramus, ita ipſis intercedentibus expectemus à Domino conſequi temporalia beneficia, vt ipſos Martyres imitando, accipere mereamur æterna: Ab ipſis enim Sanctorum Martyrum in veritate feſtiuitatum gaudia celebrantur, qui ipſorum Martyrum exempla ſequuntur.

INDEX

# INDEX CAPITVM.

## CAPVT I.



CAP. XIII.

orat

---

## PROTESTATIO AVTHORIS.



*VÆ in hoc libro scripsimus de rebus P. Marcelli Mastrilli, vt singulari diligentiâ studióque collecta sunt, ità authoritatem humanâ maiorem sibi non arrogant. Quemadmodum etiam vocabula Sanctus, Beatus, Martyr, Miracula, & si quæ sunt his similia, non nisi communi loquentium sensu accepta sunt. Nam his omnibus infallibile momentum dare, & de vera Sanctitate, Martyrio, Miraculis indicare, ad S. Sedem Apostolicam pertinet: cui me, totúmque hunc librum debito modo submitto.*



VITA

# P. MARCELLI MASTRILLI è SOCIETATE IESV, QVI IN IAPONE pro Fide Christiana mortem oppetijt.

SVperuacaneum videatur calamo celebratum ire illum, quem Deus ipse sibi sumpsit illustrandum de Cœlo; proponendúmque admirationi totius mundi; dum passim vulgatur beata sors viri priùs, quàm conferatur in rem: neque satìs habuit famam eius differre tota *Europa*, nisì ipsam eius personam oculis plurimorum populorum vsurpandam daret, per principes quasque ciuitates eum ducendo; quales post *Neapolim* (in qua ciuitate prodigium illud anticipati præconij de gloriosa Fidei Christianæ confirmatione, quam facturus erat, vt suo loco dicetur, euenit) sunt *Roma*, *Genua*, *Barcino*, *Cæsaraugusta*, *Matritum*, *Olyssipon*, *Goa*,

*Malaca*, & *Manila*; attonitis atque ſuſpenſis omnium animis expectatione rerum, quæ tam luculentis exemplis promittebantur è Cœlo. In nobis autem, qui conſpeximus, quàm ſingularib⁹ modis cum ſeruo ſuo *Marcello Maſtrillo* Dei benignitas experiretur, auxit expectationem tantorum miraculorum & prodigiorum impenſa, ob id vnum facta, vt in terris nota fierent, quæ manifeſtari placitum erat in Cœlo.

Equidem exiſtimo, rarò in Eccleſia contigiſſe aliquid, cuius tanta publicè expectatio præceſſerit, intentis hominum animis in euentum; quo præter ſpem breuì ſecuto, pleni gaudio linguam in Dei laudes, gratulationéſque ſoluerunt. Sanè de me confiteor, attonitum hæſiſſe conſideratione mirabilium Dei operum, quoties mentem ſubierunt ea, quæ contigerunt his annis, poſteaquam apud nos *Matriti* vulgatum eſt, quemadmodum tanto miraculorum apparatu *S. Franciſcus Xauerius* in Martyres Chriſti adlegerit hominem, in vltima vitæ ſuæ linea conſtitutum. Optabam videre illum, de quo tanta perferebantur. Vidi, & allocutus ſum in hac Regia ciuitate; ad quam ciuitatem Indica profectio à ſuo beato Soſpitatore imperata, illum adduxerat.

Proſecutus eſt iter; audiuimus mira, quæ inter vias acciderant; auidè finem expectauimus. Venit finis, perfecta ſunt omnia: relatu

acce-

accepimus omnes, omnes mirati, omnes perfusi tenero sensu, omnes gratulabundi, auidique accuratiùs noscendi singula eius Viri, in quo tanta multitudine prodigiorum clarificata est *Dei potentia* pariter, ac *prouidentia* singularis. Cuius etiam nutu contigisse opinor sinè dubio, vt intra tempus tam breue in meas manus venirent duæ relationes authenticæ, *Macai*, & *Manilæ* per loci Archiepiscopum ideo factæ, vt ei quondam decernantur honores cælestium. Continentur in eis peculiaria multa, commentarius adeò vitæ totius, mandato Superiorum, & Confessarij, scriptus ab ipso *P. Marcello*; non permittente Deo, in obliuionem venire beneficia, quibus illum ornauit, eâ gratiâ, vt indè gloriam sibi apud alios compararet. De rebus ipsius etiam aliæ narrationes & historiæ prodierunt à typis, *a* quæ cum gemina illa relatione *Manilana*, & *Macaënsi*, pulchrè conueniunt.

Ex omnibus ergo breue summarium *vitæ* huius mirifici Viri contexam, omnia submittendo iudicio S. Ecclesiæ, à cuius Beato Capite expectanda sententia est de vera eius Sanctitate, déque huius argumentis, qualia sunt *miracula*, *prophetiæ*, *reuelationes*; cuius equidem cognitionem, sacrámque censuram nihil quidquam præuertero, sed tantùm in solatium piorum commemorationem instituo,

quæ ex fide ac teſtimonio humano, diligentia minimè vulgari conſecutus, exiſtimo nihil eorum deſiderare, quæ neceſſaria ſunt veri nominis miraculo.

a. *Septem alij autores ediderunt vitam P. Marcelli, diuerſis linguis: pleniſſimè P. Cinnamus. Quem quia poſt huius verſionem contigit nobis videre, ſupplebimus ex eo, quæ noſtro autori defuerint.*

## Capvt I.

### *Ortus, & Educatio P. Marcelli Maſtrilli.*

Ciuitas *Neapolis* eam felicitatem conſecuta eſt, vt patriam eſſe contingeret ſerui Dei, *P. Marcelli Maſtrilli*: nam in ea natus eſt Anno *Milleſimo, Sexcenteſimo, Tertio*, Nobiliſſimis parentibus, equitibus Neapolitanis, & Marchionibus S. Marciani, de illuſtri *Maſtrillorum* Domo, notiſſima in eo Regno, ac totâ Italiâ. Marchio Pater, Dominus *Hieronymus Maſtrillus* fuit, Marchioniſſa mater Domina *Beatrix Caracciola*. Dies natalis *omen* habuiſſe videtur & *mortis*, qua prò Chriſto defunctus eſt, & *vitæ*, quam pro eius imitatione ſuſcepit: fuit enim ſextus hebdomadis, menſis Septembris decimus quartus, feſtus Exaltationi S. Crucis: etenim vitam & in *cruce* plurimæ abnegationis appetituum ſuorum vixit, & in *cruce* magnorum ſuppliciorum

pro-

profudit, vt in vltimis terræ partibus tolleret crucis Diuinæ trophæum, quod odio Christiani nominis in *Iaponiæ* Regnis euersum iacebat.

Citò apparuit in eo gratia Dei, quæ ipsum ab æterno ad *Societatem IESV* elegerat. *a.* Nam in Domo professa *Neapoli* tertio, postquam natus fuerat, die, *sacris vndis* ablutus est, manibus Viri sancti ex eadem *Societate*, cui nomen erat *P. Stephano Maio*; *Archiepiscopo* pietati parentum, præter morem, id fieri concedente: ita placidum, ita lætum se inter sanctos *Baptismi* ritus exhibuit infans, vt pro felici argumento sit acceptum gratiæ cælestis, qua gauderet in eo *Sacramento* perfundi, afficeretúrque iam tum ad res Diuinas, despectis terrenis.

Sanè pro inusitato habitum fuit, quòd, cùm Marchio pater eum post *Baptismum*, intulisset in conclaue patrui sui de *Societate*, qui tum ægritudine detinebatur in lecto, contra morem eius ætatis, neque vagitum, neque lacrymam vnam effuderit, quantumuis tempore bene longo ibi maneret; sed potiùs magna cum quiete, & hilaritate oris, præcipuè Cælum sit contemplatus, vnde tracturus olim erat vitæ suæ spiritum; significans eo facto, quantum boni reperturus esset in ea domo. Quod vt certius esset, non eodem in situ reliquerunt infantem; sed varijs modis tranquillitatem

eius conturbare conati, ipsum adeò corpore inuerso, pedibus sursum erectis posuerunt, neque tamen tantum effecerunt, vt eius gaudium ægritudine leuissima permiscerent.

Conspicatus hoc *P. Gregorius Mastrillus*, alter è duobus patruis, quos habebat in *Societate*, tunc Præpositus Domui professæ, censuit indicium esse, quòd Deus eum pusionem elegerit ad seruiendum sibi in *Societate IESV*, idémque dixit parenti, & eius ipsi faciendi, vbi ætas ferret, ab illo facultatem petiuit. Quã ille se tum quidem non grauatè facturum recepit, Deíque obsequijs obtulit filiolum, neque postea ingratum habuit, cùm *P. Gregorius* in memoriam ei sæpius reuocaret. Sed vt iam tempus appetijt, quo facta dictis suppeterent, cæpit inuitus audire, vt quem iam pœniteret promissi; quia is amor, quem parentibus erga liberos indit Natura, plerumque plus potest eo, quem hauserunt è Cœlo.

Eximiam verò Marchio curam gessit rectè educandi hunc filiũ, trésque alios, quos susceperat, omnes postmodum *insignibus Equitum Religiosorum* ornatos, maiorem ceteris Vincentium *Ordinis de Calatraua*, Antoniũ *S. Iacobi*, & Ioannem *Melitensem*, postea Cappucinũ. Magistrum eis dedit sacerdotem singulari virtute, cui nomen *Vitaliano* fuit, arbitratus optimam omnium, quæ reperiri possent, institutionem liberorum suorum fore bonos mores,

&

& exempla Magiſtri. Verùm ille non tantùm probatiſſimæ vitæ prælata imagine, ſed etiam ſolicitudine, ac ſtudio educabat eos in multa *modeſtia*, & *pietate*; peculiari erga *ſanctiſſimam Virginem*; in qua colenda vt magìs magìſque procederent, curabat, vt quatuor ſimul fratres certis horis bini & bini recitarent inuicem *Officium Dominæ noſtræ*. Aderat verò ipſe precantibus, & inflammabat exemplo ardorem, qui tantus in *Marcello*, quantumuis paruulo, cernebatur, vt copioſiſſimas ei lacrymas, creberrimáque de pectore ſuſpiria, & ſingultus exprimeret: id quod penè ordinarium fuit, ac tam copioſum, vt eos Magiſter iuberet ſubſiſtere tantiſper, donec illa vis cæleſtis in eo remitteret.

Interrogatus quondam à *Vitaliano*, quis dolor hos illi gemitus & lacrymas extorqueret: *Non dolor*, inquit, *ſed maxima, quæ reperiri poſſit, lætitia: videri enim ſibi ſe conſtitutum inter Infideles & Barbaros, qui mortem offerentes conarentur ipſum pro ſanctis Religionibus noſtris vitam exuere*. Tantũ alacritatis attulit eius menti hæc ſpecies, vt quia cor non capiebat lætitiã, per ardentiſſima ſuſpiria pectoris, ac dulces ex oculis lacrymas redundaret; ideóq; neceſſarium eſſet precationem interrumpere. Ex hoc deſiderio moriendi pro Chriſto, & Gentiles dedocendi miſerandos errores, ac ludibria ſimulacrorum, quod in eius corde à pri-

 mis

mis vsque vnguiculis, longè supra captum tenerrimæ ætatis, tantas egit radices, extitit ea solicitudo, qua, post initam *Societatem*, sedecim totis annis à sexcentesimo, decimo octauo, vsq; ad sexcentesimum trigesimum quartum, contendit à Superioribus, vt *gloriosam Missionem* impetraret in *Indias*. Sed & huic suo studio erga *Dei Matrem*, tum ipsum *Societatis* impetratæ beneficium, cùm alia omnia indè consecuta adscripsit, sensitque multo se pudore affici, cùm cogitaret, quanta in eandem pietate ferretur à puero, & quantum ei deberet.

Sicut autem electus à Deo fuerat ad sanctitatem vulgari maiorem, ità etiam gratiæ media, quibus ad fastigium illud ascenderet, excedebant modum, ordinémque communem. Præparabatur mens eius illis ipsis annis, primæ pueritiæ; varijs illustrationibus & ostentis, ex quibus acciperet metum peccati, studiúmque virtutis, & edomandarum cupidinum; iam tum intelligens doctrinam S. Bernardi, *veram vitam esse, sepeliri in hoc mundo, & viuere, quasi esset mortuus, absq; omni vsura voluptatum, quæ sensus oblectant. b.* Eius documenti gratiâ, puerulus (quod sæpius accidebat) spiritu raptus erat in amœnissimum hortum, per cuius fenestram, quæ in horti muro erat, conspexit agmen procedere ad sepeliendam viuam mulierem in candido vestimento. Intellexit eo

sym-

ſymbolo, quomodo puram ſeruare oporteat animam, gratiâ Diuinâ veſtitam; ſi ſcilicet ante mortem te ſepelias, & in vita moriaris rebus caducis. Atque hinc fortè prouênit ſtudium illud vexandi corpuſculum ſetis, flagris, ac ieiunijs; quorum copiam identidem ab animæ ſuæ moderatore petebat, ac ſæpius obtinebat. Omni ſabbato ieiunabat. Hiberno tempore frigidiſſimo conſpectus eſt, non ſemel, cubare humi nudo corpore, quod nondum poſſet animo creare moleſtiam.

Ad inijciendum horrorem peccati, & æternarum pœnarum, valuit, quod ei contigit in *Monte ſancto*, villâ paternâ, vbi quondam æſtiuo tempore verſabatur. Dum enim ſuo Magiſtro camillus adeſt, ac piè miniſtrat, pro defunctis iuſſu patris litanti, quòd allatum eſſet, è paterno famulitio quendam domi animam egiſſe, iámque ad ea verba, *Agnus Dei*, & *Dona eis requiem*, perductum ſacrificium eſſet, conuertit fortè oculos *Marcellus* ad ſcalam, quæ contra ſacellum erat, vidítque ſeruum eundem, pro quo ſacrum fiebat, aſtantem vultu planè diabolico, truci, & horrendo, flammas exhalantem è naribus. Fuit ſpectaculum hoc adeò terribile, vt *Marcellus* iacuerit ab eo totum diem exanimis. Mox verò compertum eſt, eum ſine peccatorum confeſſione obijſſe, & in vltimo rerum ſuarum articulo ſigna dediſſe animi, *vindictam* de quopiam ex-

petentis. Quo clauo Timor Dei cor *Marcelli* per tam memorabile oſtentum cõfixerit, facilè eſt intelligere, maximè cùm animum Diuinis motionibus, monitíſque tam præparatum haberet, per quæ pius puer mirum quantum prouehebatur in ſtudio Virtutum; præſertim verò *Miſericordia* erga egentes, quibus largiri ſolebat, quidquid poſſet. Vnde etiam Deus ac Dominus noſter multis miſerationibus eum cumulabat viciſſim: quas inter etiam illa fuit, conſimilis omnino fauori, quo dignatus eſt olim S. Gregorium Magnum.

Cùm eſſet in *S. Marciani*, ditione ſuorũ parentum *c.* egenus, eum petijt ſtipem; cuius illũ tanta miſeratio ſubijt, vt videretur ei largiri velle ipſa adeò viſcera; ſed quòd nec teruntius eſſet, quem daret, accurrit ad matrem; quæ libenter eum ad ſimilia pietatis opera iuuare cõſueuerat. Magno igitur cum gaudio reuerſus ad pauperem, dum attentiùs intuetur vultum ipſius, vidit omnino ſimillimum eſſe vni fratrum ſuorum, qui tum erat in Hiſpania, *Philiberto Sabaudiæ Duci Magiſter Stabuli.* Obſtupuit *Marcellus*, nec ſinè aliqua perturbatione animi ſtipem porrexit. Accipit pauper, gratias agit, ſubitòque euaneſcit ex oculis; vt conſtaret, non hominem fuiſſe, ſed Angelum, qui eâ formâ fratris *Marcello* ſe conſpiciendum dederat, ad indicandum neceſſitudinem, quæ cæleſtibus illis Mentibus intercedit

cum

cum ijs, qui ſe colunt: & procul dubio maior eſt hominis affinitas cum Angelis à Virtute & Gratia Dei, quàm fratribus germanis à ſanguine: erátque *Marcellus* puer ex innocentia ſua, & probitate, ſimilior Angelis in Cœlo, quàm fratribus ſuis in terra. Sanè parentibus eius nunquam occurrit, quod in eo reprehenderent; familia non meminit excidiſſe illi verbum, quod offenderet. Examinis actionum ſuarum vſus ei quotidianus erat: meditatio rerum diuinarum, ſimul ac ratione potitus eſt. Vndecimo anno ætatis menſam cæleſtem adire cæpit magna cum fame, nullúmq; diem feſtum ſinè illa tranſigere; ceteris ſe deſiderio, & ſpiritali, quæ vocatur, communione epuli diuini ſolatus.

Neque verò delicijs tantùm cœleſtibus, ſed etiam duris rebus ac doloribus corroborabatur in ſpiritu; quare in teneris annis iam inſtar, imò plus Viri habebat; neque minus inſtituebatur viſitationibus ſupernis, quàm infirmitatibus & periculis, quibus multò clariſſimè ſuos erudire ſolet Spiritus ſanctus. Laborabat morbo contagioſo vnus ex auunculis eius; aſſiduus apud hunc pro ſua erga omnes pietate fuit, vt auelli nō poſſet *Marcellus*. Atque ita ipſe quoq; malo afflatus grauiſſimè cæpit ægrotare, ſed auxilio *Virginis*, Dominæ noſtræ, ſanitatem recepit: à qua multis beneficijs in eo morbo affectus cùm eſſet, no-

men

men eius ne in delirio quidem dimittebat ab ore. Plenam verò salutem consecutus, plurimas *sanctissimæ Virgini* gratias egit, agnoscens ipsa conciliante id sibi misericordiæ, ergà ægrotantem ostensæ, præmium diuinitus obuenisse.

Non minus isto beneficium à Deipara fuit, quod accepit *Marcellus* alio tempore. *d.* Quodam loco ditionis paternæ tauri canibus agitabantur: vnus eorum furens pleno impetu in *Marcellum* fortè præsentem incurrit, vt nemo posset eripere; humíque cornibus eum afflixit, ac supra illum se posuit. Contigit hoc supra os putei tum singulari Dei prouidentia operti. Ad eius tamen operculum tabulatum, & mole tauri, & crebris validísque ictibus (licet plerique exciperentur corpore *Marcelli*) facillimum erat infringi: Quid multa? sic puerum taurus tractauit, vt nemo viuũ putaret. Sed quæ eius felicitas fuit, animaduertit in pariete, à quo taurus proruerat, esse pictam imaginem *Deiparæ*; huic sese enixè commendat, integra & præsentissima ope: nam cõtinuò surrexit sanus & valens, magna cum admiratione omnium, qui erant præsentes: quia scilicet peculiari prouidentia seruatam Deus volebat eius vitam, quam & in suis obsequijs transigendam, ac demum pro suo Nomine profundendam sciebat.

a. *Pro-*

a. *Processu Manilæ facto fol.* 111. b. *eodem fol. pag.* 2. c. d. *ibidem fol.* 112.

---

## CAPVT II.

### *Marcellus ingreditur Societatem IESV.*

VBi accessit *Marcellus* ad *decimum quartum annum ætatis*, desiderio flagrauit agendi id, ad quod Deo pater eum recèns natum obtulerat, in *Societate IESV* vt esset: licèt enim aliquot annis antè iam desiderijs illis ferretur, reprimebatur tamen ætatis immaturitate, cõtentus ad tam grande munus obtinendum à Deo, comparare se multa orationis, & pietatis exercitatione. At vbi rei par ætas accessit, & illi dedere se solito impensiùs cæpit, & de sui receptione in *Societatem*, magno cum ardore agere cum *P. Gregorio Mastrillo* propatruo suo, tùm iterum Domui professæ *Neapoli*, & cum *P. Antonio Marchione*, Prouinciæ illi Præposito. Quod vbi resciuit Pater, oblitus antiqui promissi, ægerrimè sensit, atque has *Marcelli* cogitationes, quantum posset, disturbare constituit: igitur occasionem eas exequendi vt amputaret, illum *Neapoli* in alium quendam suæ ditionis locum transtulit.

Ille videns ademptam sibi omnem facultatem potiendi optatis, remittere cæpit nonnihil de feruore animi sui, donec Deus infelici,

planè

planéque inopinato casu illum restituit. Etenim deambulans per aulæ pauimentum planissimum, ità lapsus est, vt frangeret tibiam. Accepit hoc pro punitione diuina, tanto certiùs, quanto minùs credibile erat, quemquam ità grauiter cadere, lædíque posse in loco tam securo. Intellexit igitur hanc esse vocem Dei, quâ clariorem expectare non debeat, statuítque simul ac sanatus fuisset, sinè mora complere propositum; etsi adhuc metus patris teneret, modúmque non reperiret efficiendi, quod vellet, donec amicorum quispiam ad eum inuisens ea die, qua ad aucupium exire condixerant, inquit, *Eia Marcelle, quando id facies?* *Marcellus*, quem hæc plaga mœstum habebat, quòd Vocationi Diuinæ non paruisset, eo sensu dicta sodalis accepit, ac si moneret maturare ingressum *Societatis*: itaque respondit; *statim, sine mora*.

Effecit hoc Deus, affuso lumine singulari, vt quod monebat sodalis de aucupio, de quo in eam diem conuenerat, ipsi pro stimulo foret moras rumpendi, ac Diuinæ voluntatis actutum implendæ. Quia prouidentia Dei per vias nobis ignotas incedit, & mirabili dispositione rerum, per inuios humana opinione accessus, inducit gratiam suam. Neque filio defuit *Marchionissa*, Matrona pia inprimis, ac metuens Dei, quæ cùm præ ceteris liberis charum haberet *Marcellum*, crebrò ipsi

ipſi dicebat, maximè cùm acriùs obiurgaretur à patre; *Fili, ſcis, quàm te amem; ſi ergo Deus te vocat ad Religioſum vitæ modum, oro, meâ cauſâ ne differas.*

Compoſuit *Marcellus* confeſtim res ſuas, ac certus proſequi cæpta, duos equos comparauit, non tamen è ſtabulo paterno, ne ſuſpicionem ſui diſceſſûs præberet, ſed aliunde; pro ſe vnum, alterum pro amico, ſimillimæ virtutis, ac propoſiti, qui comes erat futurus, poſtmodum in *Ordinem Fratrum Cappucinorum* aſcitus. Summo igitur manè, ante ſolis exortum, pridie feſti *Annuntiatæ*, *ſalutis* Anno 1618. de *Monte ſancto*, vbi tum erat, profectus, magna celeritate contendit *Neapolim*: non tamen per vias conſuetas, ne facilè reprehenderetur ab ijs, quos non dubitabat ſubmittendos à patre. Ergo partim hoc metu, partim deſiderio celeriter perueniendi in optatam Dei domum, equos incitabat ad curſum. Verùm cùm iam vltra mediam leucam *Nolâ* non abeſſet, bonorum deſideriorum hoſtes inferni moram curſui eius inijcere conati ſunt. *a.* Etenim ſubitò conturbato, obductóque teterrimis nubibus cœlo, horrendam tempeſtatem minitabantur. Sed nihil territus ardens animis adoleſcentulus, magna cum alacritate vrgebat equum, etiamſi magis magíſque à locis habitatis, in quæ recipere ſe poſſet nimbis effuſit, recederet.

Occur-

Occurrit quoq; obuiam numerosa Dæmonum manus in mulis, formâ æthiopũ, habitúque rusticano, & sic eum alloquitur: *Quò tendis, adolescens, quò tendis? reuertere domum; non times atrocem tempestatem, quæ imminet? reuertere.* Admiratus est *Marcellus*, vndenam hæc agrestium cohors nôsset, abire se domo, cùm perinde se alloquerentur, ac si compertũ haberent suum propositum: sed animatus ex altera parte aspirante gratia Dei, nihil eorum voces, admonitionémque moratus, instititu cursu cæpto prosequi viam. Quo conspecto, mali dæmones, tanquam re desperata, subitò cum tota nubium fallacia euanuerunt ex oculis, vt neque toto campi æquore vllus æthiopum, neque toto cœlo ulla compareret nubecula, sed eò die serenitas, ac tranquillitas maxima esset.

Vtcunque autem festinaret, quòd per multos circuitus incessisset, ante vesperam non peruênit *Neapolim*. Ibi contendit rectà ad *Domum Probationis*, tantò animi sui gaudio, vt videretur sibi paradisum ingressus, & continuò *Præpositum Prouinciæ*, cum patruis *P. Gregorio*, & *P. Carolo Mastrillo*, qui fortè *Neapoli* tunc erat, commoneri de suo aduentu curauit. Adfuit mox *P. Carolus* à Prouinciali missus, vt exploraret propositum adolescentis. Fecit hoc minimè remissè, sed rigidè omnino examinauit pondera cogitationum ipsius,

multa

multa causatus, cur non oporteat eam patri *Marchioni* afferre molestiam; multa etiam abs Deo, seuero impietatis aduersùs parentes vltore; multa ab ipso patre, si tam grauiter offendatur, minatur. Verùm ea *Marcello* à Spiritu sancto animi fortitudo adfuit, is ardor ac spiritus, vt suprà, quàm ætas eius ferebat, omnia argumenta, quibus onerabatur, dilueret; omnes minas, quæ terrorem offerebant, rideret. Postridie redierunt *ambo patrui ad nouum examen quod cùm notaret Marcellus*, nescio cui ponè sequenti dixit in aurem, *si pergat impugnare me P. Carolus, dicam ei, vade retro me, satana.* Non ita submisse hoc dixit, quin *P. Carolus* audiret: qui proinde visâ constantiâ adolescentis, recepit ei se porrò nihil facturum negotij.

Intereà loci adest à patre cursor cum literis, blandum in modum conceptis eo argumento, quòd nunquam suæ mentis fuerit impedire *vocationem cælestem filij sui*, multóque minùs in ea occasione; sed quòd eum dedicârit *Societati*. Hæc ità dictârat, eo animo, vt *Patres* de sua voluntate securi, non præcipitarent illum recipere, ipséque interea *Neapolim* posset accedere, per seipsum omnia disturbaturus. Sed res longè aliter cecidit. Nam *Patres* verba literarum bona fide secuti, quibus filio *Societatis* ineundæ venia dabatur, receperunt eum confestim, aliter nequaquam fa-

ſturi, propter exemplum, quod ſex menſibus antè *Dux de Oſſuna* ediderat, cùm armatis militibus *Domi noſtræ* conquiſiuit filium *Principis de Tarcia, Marcellum Spinellum*, qui pari modo profugerat è patria, vt in noſtram Societatem veniret. Poſt illum tabellarium miſit *Marchio* inſuper vnum è fratribus *Marcelli*, aliúmque ſuum auunculum, ad impediendam, quacunque poſſent ratione, ſuſceptionem illius.

Neque illis aut conatus, aut induſtria defuit; ſed animoſior adoleſcens ità reſpondit, vt abiecta ſpe quidquam efficiēdi, reuerterentur ad *Marchionem*, commemoraturi, vt omnem lapidem mouendo fruſtra fuiſſent: quem tantus ex eo percepti animi dolor, vt grauiter infirmaretur, etiam corpore. Intuebatur tunc iſta oculis qui ſummos colores, nō intima & animas rerum aſpiciunt, magis amando corpus, quod filio dederat, quàm animam ei donatam à Deo; magíſque curando, quî domum ſuam temporalibus ornamentis augeret, quàm vt inſtrueret eam bonis æternis. Tenuit is dolor, donec ei Deus immutauit animum, inuſitato lumine ipſum perfundens, quo clariſſimè rei veritatem edoctus, dicere poſtea ſolebat, *plus afferre ſibi gaudij, quòd filius eſſet in Societate, quàm ſi alterum tantum acceſſiſſet ad rationes ſuæ dignitatis, atq; prouentuum*.

a. Pro-

a. *Processu Macai facto. fol.4 Manilæ. fol 113.*

## CAPVT III.

### *Primi Anni in Religione exacti à Marcello.*

NOn minore voluptate animi sui in *Societatem* receptus est *Marcellus,* quàm desiderium fuerat. Pari proinde alacritate suscepit *Exercitia,* quibus ab initio se meditantur ad hanc militiam sacram Tirones. *a.* Inter ea quadam die præter morem grauis, & non consolabilis, à malo dæmone animo eius offusus est mœror, vt neque oculos, neque cor posset leuare in cælum: donec ei Deus admirabili modò cælumità apertum ostendit, vt nihil obstante tecto & parietibus clausi conclauis, in quo erat, liberis oculis ei daretur inspicere. Quid autem in eo viderit, nunquam vulgauit.

Ex illo tamen aspectu tantum recepit ardoris & gaudij, vt eo non tunc solùm afflueret, sed etiam quoties recordabatur eius spectaculi; atque adeò negaret, esse in terris deliciarum, aut voluptatis genus, quod huic æquiualeret, cuius recordatione sola tantum animaretur. Inter ista creuit in eius anima tantum desiderium cælestium rerum, tantúmque tædium terrenarum, vt aliud iam non haberet in votis, quàm multa pati pro Deo, & eo demum in cælo perfrui.

Fuit autem desiderium hoc adeò magnum, vt nullam ei quietem daret, ipséque id alijs explicare satìs non posset. Atque huic deside- rio patiendi, tanquam solo cuidam, & funda- mento, accessit vocatio in *Indiam* ad quæren- das animas à Filio Dei redemptas; ac docen- das, quantis erroribus ad interitum ruant, Christo pretium sui sanguinis in illis perden- te: quæ sanè res Deum amantium viscera sæ- uissimo commiserationis telo traijciunt. Ne- que tulit sensum eius *Marcellus*, sed per epi- stolam bene longam, qualem feruor ille men- tis dictabat, à *Præposito Generali* cupidissimè petiuit, vota sua impleri; cúmque non potire- tur, non destitit, à primo vsq; anno tirocinij, per crebras literas pari semper ardore eadem flagitare, donec *decimo octauo* demum *anno*, à cælo consecutus est, quod in terris impetrare non potuit.

Solent in *Societate* Nouitij per mensem peregrè sine viatico mitti ad locum aliquem pium, & pro Christi amore mendicare neces- saria, vt ad incommoditatem viuendi assue- fiant, & omnem spem, quam in pecunijs ha- bere possent, in solo Creatore constituant. Altero igitur anno probationis *Marcellus* missus est cum alijs duobus, ætate & virtute æqualibus. Nullus eorum *decimum quintum annum* explêrat, multum tamen omnes pro- cesserant in virtute, *b*, Cùm peruenissent ad

*Mon-*

*Montem Deiparæ*, quindecim leucis distantem *Neapoli*, oppido fatigati iam erant; mons arduus & asper, dies præceps in occasum, via illis ignota: hærebant ergo mœrentes & anxij; sed mox à Deo, qui suis adest in tempore, solatium præbitum est.

Occurrit iuuenis saccum ferens plenum elegantissimis pomis: offert eis, *Accipite*, inquiens, *Patres; his pomis reficiemini paulisper; ecce ibi est via.* His dictis disparuit subitò, poma illis relinquens. qui non elegantiam tantùm eorum, sed etiam saporem, odorémque mirati, non aliud existimare potuerunt, quàm cœleste cibj genus id esse, quo tantum sibi virium addi senserunt, vt omni fatigatione detersa breui superauerint montem. Dixeris ab Angelo pensatam esse *Marcello* stipem, quam ei quondam in specie sui germani dederat: merebatur certè stipem ab Angelo accipere, qui meruit Angelo dare. Sed ipse virtuti sociorum cælεste id munus tulit acceptum; at prius illud absque socijs istis ipsi euenerat: nec dubium est, vtrumque contigisse fauore singulari, quo Deus illum magis magísque in seruitio suo animare volebat.

Sic autem spiritûs incrementa in feruente *Marcello* cælestis Magister curabat, vt specialis prouidentiæ modis, & in perfectiora eum impelleret, & contra pericula præmuniret. Cùm enim præuideret imminere, vt grauiter

uiter tentaretur *Marcelli* constantia in Vocatione religiosa, magnam huius æstimationem euentu quodam in eius mente parauit. c. Diem suum obierat *Pater* quispiam è *Societate*; huic dum pro more persoluitur in templo officium funebre, vox è cælo ad aures *Marcelli* perlata est; *sepelite confestim illum* (nominabatur certus quispiam frater inter præsentes) *sed longè dissimili pompa.* Clarissimæ fuerunt hæ voces *Marcello*, sed obscurum, quid vellent, donec intra mensem homo ille à *Societate* dimissus est. Tum enimuerò intellexit, quorsum ea dicta fuissent; ac *Societatem*, quam antea magni fecerat, multò etiam chariùs æstimauit, posteaquam audiuit, à Cælo mortuum, & sepulchralem haberi, qui animum induxerit ab ea desciscere; vt qui veræ vitæ, & spiritûs vsurâ destituatur. Lamentabilis omnino est ea insepulta sepultura, commeritum esse deturbari in mundum, vbi dominatum vera *Mors*, *Peccatum*, *Vanitas*, cum Diabolo principe suo exercent; ac mortui secundùm dicta Saluatoris, sepeliunt mortuos.

d. Cùm bene iam ab armis Lucis instructus esset nouitius Christi miles, possetque defendere se à plagis diaboli, principis tenebrarum, quærentis ipsum euertere, venit nuncium de obitu vnius è suis fratribus in *Sicilia*, in quo spes omnis familiæ suæ fuerat sita; quòd frater natu maior liberos è coniuge sua

non

non susciperet. Egerunt ergo cognati cum *Prouinciali*, vt *Marcellum* è Religione dimitteret. Vocat eum *Prouincialis*, quid actum sit refert. Hîc supra modum conturbari Dei seruulus: cúmque non satìs appareret, qui proderet constantiam animi suì in vita suscepta, prouolutus ad pedes *Prouincialis*, maximo feruore *votum* edit, non deserendi *Societatem IESV* quacunque ex causa; & si contingat omnem familiam suam abire è viuis, vt solus ipse omnibus esset superstes; omnes facultates, quæ ad se deuolutæ essent, *Societati* donat, vt pro suo arbitrio de illis constituat. Valuit generosa hæc resolutio mentis, inopinato terrore obligatæ, ad repellendos cognatos, simúlque ad conciliandum Deum, vt fratri maiori prolem concederet. Quin etiam breuì superuênit lætior nuncius, fratrem illum in *Sicilia* defunctum non esse.

a. *Processu Manil. fol. 114.* b. *ibidem.* c. *ibidem pag. 2.* d. *ibidem.*

## CAPVT IV.

### *Studia Literarum in Societate.*

TEmpus suorum *studiorum* exigit *Marcellus* noster solito feruore, stimulando seipsum vocatione *Indica*, vt idoneus Christo minister *Euangelij*, & imitator *Indiarum Apostoli S. FRANCISCI XAVERII* fieret.

Quam ad rem pluribus argumentis cælestis fauoris incitari se sensit. Dum *Philosophiæ* dat operam, *Deiparæ* peculiaris erga eum, domúmque suam voluntatis id fuit, quod & maximi fecit, & multa cum gratiarum actione agnouit. *a.* Apparuit sanctissima Virgo mulieri grandæuæ; notæque virtutis, mandans *Marchioni S. Marciani*, parenti *Marcelli* nostri, dicere suo nomine, tollat se tandem ex eo loco domicilij sui, in quo stet iam dudum exiguo cum honore, ponátque in alio conueniente, vbi maiore in cultu sit, si quidem velit se propitiam suæ familiæ. Paruit illa, sed *Marchio* neglexit monitionem anilem, quod nec sciret, neque crederet vsquam domi suæ cælestis Reginæ *imaginem*, signúmue minùs religiosè collocatum. Sed vbi iterum iterúmque Diua apparens mulieri, mandata priora repetijt, illáque ad ipsum pertulit, diligenter omnes ædes domi suæ perquiri curauit, ecqua vsquam Virginis Diuinæ *Imago* inueniretur sita minùs decenter. Reperta in angulo equilis: tollitur indè; & quia *Marchio* domo tum aberat, ad *Marcellum* accurritur, vt ipse dictet ornatum & modum, quo pensetur pristini situs & squaloris iniuria.

Facit hoc pius *Marcellus* magno cum studio; præcipit eam includi eleganti tabulæ cum Crystallo, & ad *S. Marciani* deferri: vbi collocata in æde maiore, prouentibus annuis

sacel-

ſacelli procurationi attributis, à *Marchione*, ſolenni ſacro colitur, quotannis, *primâ Dominicâ poſt Feſtum Corporis Chriſti*, magnáque religione frequentatur à populis, ſub titulo *Dominæ noſtræ de Conſtantinopoli*; fortè quòd indè quondam allata ſit. Iſti obſequio, vel potiùs beneficio *Diuinæ Virginis*, quòd ab ſua Familia coli voluerit, *Marcellus* attribuit omnem veram proſperitatem, quæ ſuis euenit: videlicet piam ac felicem mortem patris ſui, matris, & fratrum: quibus omnibus ipſemet oculos clauſit, non ſinè magnis indicijs æternæ ſalutis ipſorum, & piâ quadam inuidiâ hominum Religioſorum, qui præſentes fuerunt; maximè quando mortuus eſt *Marchio*.

Erant *quatuordecim Religioſi* in eius conclaui, quorum in conſpectu Deo ſpiritum reddidit, cùm priùs multa de cæleſtibus rebus piè locutus, denſa inflammati amoris Diuini, mentíſque dolore intimo contritæ ſigna dediſſet. Has Dei ſeruus appellabat veras proſperitates, quæ ſuis obueniſſent gratia Matris Dei; ſicut etiam nouos ignes, quibus denuo ſe ad *Indicam* profectionem ſuccendi experiebatur, & efflagitabat enixè. *Ter* mittendus erat, *ter* interceſſerunt cognati; & vltima quidem vice ſe omnino *voti* ſui certum putabat, vt comitaretur beatum Martyrem *P. Sebaſtianum de Viera*, qui etiam ad eum ſuper hac re literas ardentiſſimas dedit. Reſcriptum fuerat

Romà, ne ipsi discedendi venia fieret, nisì cōsensisset patruus eius *P. Gregorius Mastrillus*, cuius vtpote grauis, ac multorum in *Societate* meritorum viri, consensui *Præpositus Generalis* rem *Marcelli* duxerat alligandam.

Sed is, quòd sacris meditationibus intentus esset iis diebus, commisit Confessario suo *P. Hieronymo Pecorano*, magnæ auctoritatis in ea Prouincia. Hic instituit prudenter admodum expendere desideria *Marcelli*, verène à Deo ingesta fuissent. Proposuit ei multas grauésque difficultates, quas cum apud se volebat considerare diligentiùs, & postea redire ad dandum responsum. Non accepit spatium cogitandi *Marcellus*, affirmans ea omnia sibi à multis iam annis perspecta, perpensáque fuisse, & insuper à seipso alias causas grauiores adiungens. Sed illis omnibus tanto spiritu, tantísque argumentis, tanquam scintillis è pectoris sui foco, Diuini Amoris flammis ardente, occurrit ex tempore, vt in stuporem datus *P. Hieronymus*, ad pedes fratris procumbens, veniam temeritatis petierit, qua ausus fuisset reuocare ad examen, quæ tam certum esset, ortum habere diuinitus: neq; enim *Marcellum* ea respondisse, quæ dixerat, sed Spiritum sanctum; quippe faciem eius interloquēdum accensam, itaque mutatam fuisse, vt non hominis esse videretur, sed Angeli. Et nihilominus tamen cognati eius etiam tunc, sicut

&

& poſtea, impedierunt eius profectionem, quantumuis omnem lapidem, vt aiunt, moueret, tam apud ſuperos, quàm apud homines.

Etenim vitam degebat aſperrimam, multo piamine, ſummóque ſtudio plenæ perfectæque virtutis, Deum in ſua vota flexurus. Qua in contentione tantus fuit ardor illius, vt profligauerit valetudinem ſuam. Continuis ſupplicijs contraxerat tuſſim adeò malam, vt eius pellendæ causâ mittendus fuerit in locum quendam, Leucâ diſtantem *Neapoli*, in quo febri hectica laborantes curari ſolent. Expectauit ibi toto vere ſanitatem, ſic tamen, vt nihil de ſpiritu ſuo amitteret. Conſuetudo eius omnis cum hominibus Religioſioribus fuit, ſemper colloquia ſerendo de Deo. Quotidie ſecretò ſeſe flagellis excipere ſolebat, ſæpe etiam publicè in cænatione, alios eódem inuitans; ibidémque ſuos minutim accuſabat errores.

Nullius vnquam è *ſocijs* faſtidire ſe, facto verbóue oſtendit, ſemper hilaris & affabilis. Erga infirmos magna charitate vtebatur, magníque pendebat, ſi poſſet eis commodè parare, vel præbere cibum: quod eius officium Deus munere quoque ſuo ornabat, optatam eis ſanitatem reddendo. Dirigebat verò ſtudia ſua in animarum impendium, quarum amore ita flagrabat, vt omnem ſuam vitam inter continua obſequia, & opera charitatis optaret

traducere. Festis diebus per plateas *Neapolis* exhortationes ad pietatem habebat ea contentione ac spiritu, vt quam plurimi mortales eum sequerentur ad nostrum templum, noxas confessione simul & acri flagellatione expiaturi. Neque minus satagebat necessitates vitæ leuare ope ab alijs emendicata: ideo etiam quotidie accurrebat ad ianuam *Collegij*, vt ijs, qui fortè adessent, pauperibus cibum elargiretur; quod singulari comitate amoréque factitabat.

Cum tanto spiritu sociabat etiam doctrinam, vt in ea quoque condiscipulos suos præuerteret. In Philosophia Thesibus præsidebat, quæ singulis hebdomadis disputationi solent proponi, & absentis fortè Magistri vicem præstabat, magno cum secularium studiosorum fructu tàm in Literis, quàm in pietate, vt cõplures eorum decurso artium studio solenniter disputarent magna cum laude, & animum Religiosæ vitæ adiungerent. Consueuerat enim repetitione lectionum quotidianarum finita, dubiisque præclarè solutis, adiungere semper aliquid de Gentilibus adducendis ad Fidem de aspernandis tyrannis, de sufferendis tormentis, & alia id genus, quibus mirificè afficiebatur iuuentus.

Cui etiam dum vel erudiendæ præfuit Magister in scholis, vel præfectus in Seminario, ad omnem pietatem dux fuit, ad eluenda totius

vitæ

vitæ peccata, ad ſacram ſeceſſionem, ad alias exercitationes teneram ætatem rara dexteritate, conſilio cum arbitris animorum collato, inducens. Aſſeuerant complures è diſcipulis illius, nullam diem abijſſe, quin de rebus cælestibus verba feciſſet. Hic illi mos fuit octo annis, quos in adoleſcentum curâ tranſegit: à quibus vtcunque multa ſæpe, vt aſſolet, negligenter & incompoſitè, atque etiam moleſtè fierent, nullam tamen ab eius ore vocem iracundam prodijſſe vnquam, ſtudiosè notatum eſt. Neque hoc mirum, quando etiam grauiores offenſas & moleſtias non æquo ſolùm animo tulit, ſed etiam ſtudiosè quæſiuit. Vnde etiam poſt *Indias* nullum inueniebat locum ſibi gratiorem, quàm Domicilium Tironum in quo plurima eſt ad patiendum exercitatio. Quare in *Collegio* Sodales ſibi neſcio quibus rebus moleſtum, & alienum à genio ſuo, longo tempore in eodem ſecum conclaui habitare voluit, ne amitteret anſam patientiæ.

Quarto demum anno Theologiæ decurſo, publicè Theſes de omnibus Myſterijs in ſchola auditis defendit, & ad orationem ſolennem de ſtudijs literarum habendam electus eſt. Magno enim & præcellenti ingenio erat; iudicio quoque ad omnem olim gubernationem in Societate obeundam præſtabat. Sanè cùm eſſet miniſtro Collegij Socius datus, tantam in eo munere demonſtrauit prudentiam, vt ſingula-

gulari cum studio disciplinæ eximiè se præberet amabilem:nec deerant,qui non alio,quàm *Angeli* nomine ipsum appellarent. Tanta fuit eius virtutis opinio.

Et inter hæc tamen omnia videbatur agere id vnum, vti compos fieri posset profectionis expetitæ tantopere, nullis neque diuinis, neq; humanis auxilijs parcens. *b.* Quadam die cùm ad mensam audisset legi vitam *S. Eustachij*, magno erga eundem sensu pietatis affectus, plurimam in eo spem consilij sui defixit, neque inanem: missus enim postridie ad ministrandum sacrificaturo foris; in ædibus *Beatricis de Rufo*, *P. Hieronymo de Alexandro*, destinato in *Indiam*, inter sacrum eidem S.Martyri cõmendauit res suas impensè, multáque fiduciâ. Vidítque subitò magnum quendam splendorem, qui tam inusitata teneritudine cor eius demulsit, vt non potuerit retinere lacrymarum fluenta ex oculis procurrentia. Cúmque respiceret, vnde promoneret is fulgor. Vidit imaginem exiguam eiusdem sancti suspensam è pariete. Indè profluebant illi radij, ac mox etiam hæc verba, *Macte animi esto*; *quia obtinebis.* Ab eo tempore & ipse longè deditissimus fuit *S.Eustachio*, & alij parium desideriorum ipsius exemplo : nec sinè notabili operæ pretio.

a. *Processu Manil. fol. 115.* b. *ibidem. fol. 116. pag. 2.*

## CAPVT V.

### *Aliqua præsagia destinationis eius in Indiam.*

ABsolutis *studijs*, è secessu & spirituali quiete *tertiæ probationis* in *Societate* consuetæ, missus est *Marcellus* in solatium fratris Marchionis, *Equitis de Calatraua*, rara virtute viri; qui licet coniugem familiámque duxisset, nihil tamen quidquam se impediri patiebatur à familiari recursu ad Deum. Adamârat *Marcellum* fratrem; etsi enim vitæ conditione discreparent, studijs tamen votísque animorum erant simillimi: neuter enim aliud habebat antiquius, quàm Deo placere. Igitur in suprema valetudine sua desiderabat *Marcellum*, vt aliquid ex eius alloquio caperet solatij. Confestim is admissus illi seruiuit in morbo pro ministro, in morte pro medico animæ, pro viribus adiuuando, vt securè plenam periculi viam, quæ est è viuis, iniret. Quare is etiã magno cum gaudio vitam posuit, quam in multa virtute peregerat.

Reliquit vxorem viduam, liberos orphanos, matrem desertam, *Marcellum* hæredem morbi eiusdem, quam hæreditatem plurimo labore & assiduitate cum ægrotante adiuerat, Deo per hanc multiplicatam patiendi materiam, exercitam cum fratre charitatem remunerante. Videbatúrque iam mors in ianuis esse,

ſe, optata magis *Marcello*, quàm formidata. Credebat ſanè inſtare ſibi horam ſupremam, non tantùm propter vim morbi, ſed etiam ex eo, quod à fratre in extremis conſtituto petierat, vt cùm veniſſet in conſpectum Dei, impetraret à ſua Diuina Maieſtate, breuì totam ſuam familiam ad ſe dignetur accipere; & ſeipſum quoque; licet alioqui magis optaret pro illo laborare, & mori in *India*.

Quia verò tantâ ſe gratiâ indignum putabat, præoptabat mori, quàm viuere, ſi quidem id impetrare poſſet à Deo. Et verò exauditæ petitionis breuì aliqua ſigna vidit *Marcellus*: nam & *P. Gregorius Maſtrillus* auunculus citò morte ſublatus eſt; & filium maiorem ſui fratris grauiſſimus morbus occupauerat; & ipſe morti proximus erat.

*a.* Notabat iſtâ *Marcellus* & cogitationem eius confirmabat defunctus *Marchio* frater, qui ſingulis noctibus in veſte candida, felicis conditionis argumento, apparens, nutu, manúque ſignum dabat proficiſcendi. Accepit hoc æger de diſceſſu in alteram vitam; ſed iſte futurus non erat, niſi in altero orbe: ſicut euentus monſtrauit. Ex quo facto etiam illud non temerè colligas, bonam partem *Indicæ* Miſſionis eodem anno impetratæ à Deo, precibus defuncti fratris attribuendam fuiſſe. *b.* Alio tempore vocem audiuit *Marcellus*: *Agedum imus, iam tempus eſt*. Cúmque ipſe de

morte

morte id acciperet, conſpicuum ſe dedit frater, dixitque, *iam aliud eſſe conſtitutum*.

Verùm eo ipſo tempore, quo frater in cœlo procurabat *Marcello* diſceſſum ex *Italia*, & ingreſſum in *mare*, vt mortem oppeteret inter barbaros; *Marchioniſſa* cognata, in ſuorum liberorum tutelam, moliebatur eum extrahere è *Societate*, & mundo immittere, vbi pluſquam maritimis modis agitantur mortales. Adiuuabant reliqui cognati, multas Religiones fingendo, quibus obſtringeretur ſuſcipere curam ſuorum nepotum. Aiebat *Marchioniſſa*, *compelli ſe à ſuis cognatis ad alteras nuptias, quòd eſſet mulier non plus viginti quinq; annorum, quam minimè deceret ſolam manere: ſi tamen ipſe egrederetur Societate, ſe manſuram innuptam*. Grauis oppidò periclitatio, quam ratio fortunarū augebat: etenim ſi nuberet illa, nepotib⁹ *P. Marcelli* & familiæ eius ſubtractura erat vltra *quinquaginta millia nummûm ducatorum*.

Dimicauit in hac pugna miles Chriſti tanta fortitudine, atque conſtantiâ, vt *Marchioniſſa* diceret, non amplius habiturum ſe illam inter propinquos, quæ tam improbi conſilij auctor fuiſſet; maioremque ſe reputare contumeliam per hoc ſibi oblatam, quàm ſi colaphum ſibi duxiſſet. Ac ne quidquam ſpei ſupereſſet ſui à *Societate* diſceſsûs, eodem temporis momento dotem ei ſuam aſſignauit, & quidquid ad eam ſpectaret, vt quamprimùm

discedens *Neapoli* alium sibi maritum quære-ret; ad quod suam ipse operam opémque nauauit: nihílque habuit prius, quàm vt, quemadmodũ antea in pari periculo fecerat, superiorem accederet, ac procumbens ante ipsum in genua, nouo se *voto* obligaret, perseuerandi in *Societate*, quidquid eueniret, nihil curando commoda nepotum & familiæ suæ. Quanto hæc spiritu gessit, tantum exinde gaudij cælestis ipsum adobruit, vt diceret, à Deo iam sibi *centuplum* illud persolui, quod in *Euangelio* Redemptor promisit.

His eum virtutibus adornabat Deus, eximio fauori & gratię, quam ei parabat, eximendo illum suis propinquis, qui toties conati fuerant eum educere *Societate*, & perficiendo ardentia desideria itineris *Indici* quod sua ipse morte melius habebat; quia illa quidem Deo citò fruendi, sed istud multa pro Deo patiendi erat occasio. Sentiebat verò longè præstantius esse pati acerba pro Deo, quàm beato eius aspectu citò gaudere. *c.* Dum igitur incederet his desiderijs, aut moriendi, aut egrediendi *Italiā*, & Deus aliquo signo demonstrare vellet, explendam esse expectationem illorum; apparuit ei vir amictu candido, cum rubra cruce in pectore, vt sæpe solebat, nunc autem etiam cum cereo ardente in vna manu, & baculo in altera. Interroganti *Marcello*, quid hæc sibi velint, respondit, cereo mortem eius desigña-

gnari, baculo discessum ex *Italia:* videat ergo, vtrum eligendum sibi existimet.

Marcellus, vtpote prudens, & in omne Dei numen paratus, negauit optare se velle, quantumuis desideret ex *Italia* proficisci in *Indiam*, non aliter tamen, quàm si Deo sic placeat, neque pro suo libitu. Intulit ille, iam alterum eorum esse constitutum, aut *mortem*, aut *iter*. Vtrum verò, sciscitanti *Marcello*, negauit, iam tempus esse sciendi; suo tempore se illi dicturum: quod paulò pòst factum est, quando *S. Franciscus Xauerius* aperta, notáque facie venit ad ipsum, & morti erepto discessum ex *Italia* mirifico modo aperuit. *d.* Idem apertiùs manifestauit *S. Xauerius Neapoli* cuidam excellenti virtute, cui apparens tum alia, quæ *P. Marcello* euentura erant, cùm etiam illud prædixit, *Martyrem fore*, quæ omnia sic euenerunt, vtì *S. Apostolus Indiarum* prædixerat.

a. *Processu Manil. fol. 116.* b. *Processu Macaënsi. fol. 6. pag. 2.* c. *ex epist. P. Roderici Beza in processu Macaënsi.* d. *in dictis processibus.*

---

## CAPVT VI.

### *Per lethalem plagam iniectam Deus parat P. Marcello discessum ex Italia.*

Miraculum, quod referre paro, si spectetur cum omnibus rebus adiunctis ac circumstantibus, forsan è rarioribus erit, quæ

vnquam euenerint. Referam id accuratè, cum occasione, qua contigit. Ad finem Anni Millesimi, sexcentesimi, trigesimi tertij, *Comes à Monte Regali Prorex Neapolitanus*, instituerat in palatio suo magnificentissimum solenne *Conceptionis Dominæ nostræ*, die Dominica infra octauam, quæ fuit *vndecima Decembris*. Inter alios apparatus quatuor altaria in quatuor angulis atrij amplissimo sumptu construxerat, quorum procuratio principibus quatuor in ea ciuitate viris demandata est; inter eos *Dominus Carolus Brancacius Eminentissimi Cardinalis Brancacij frater*, eius, quæ sibi credita fuerat, aræ constituendæ & augendæ curam dedit *P. Marcello*, qui & industriâ dexteritatéque talia scitè parandi valeret, & ipsius amicus ac pernecessarius esset. Ornauit aram: magno cum splendore, & optato successu peractum est festum. Sed eo finito, dum eadem nocte ornamenta demuntur, spoliantur parietes, ac destruitur ara, *P. Marcello* suas partes curante, & nescio quid monente ministrû incedentem in alto, excidit homini *malleus*, quem gerebat, plusquam *duarum librarum* & *Patrem* in latere capitis dextero supra tempus, tam pondere, quàm acie sua, quæ plusquam palmaris erat, grauiter læsit. Collapsus humi *Pater* sentit mox grauissimam commotionem & nauseam, quæ etiam vomitum concitauit: sanguis è vulnere non multus effluxit, neque id adeo magnum videbatur, sed maius

erat

erat in alto malum. Accurritur, condolet omnibus de casu, *Pater* imponitur vehiculo, ad *Collegium* deportandus.

Aduocati medentes mox operam adhibent, impensiùs autem altera die. Deprehendunt in plaga periculum esse, præsertim ea corporis parte, maléque habitos musculos, & neruos temporum, cum alijs quibusdam adiunctis parum optatis; præterquam quod cælum *Neapolitanum* minimè benignum est sanandis vulneribus capitis. Abijt inter ista tertia quartáue dies, cùm superueniens grauissimus calor ingentes dolores toto capite fecit: maximè verò in regione aduersa vulneri; & oculum dexterum ita compressit, vt aperiri non posset; præter alia, quæ acciderunt, mortis, vel periculi plena. Conuocati medici & chirurgi varia experiebantur, quibus interdum leuabatur nonnihil, nunquam tamen ita, vt extra vitæ periculum esset.

*a.* Vna ex informatis relationibus perhibet, tempore istius infirmitatis, crebrò visum ab eo fuisse virum illum, in veste candida cum cruce in pectore, qui erat *S. Franciscus Xauerius*, & percunctabatur, *viuerénc cupiat, an mori*: cúmque responderet *Marcellus*, illud sibi esse in *votis*, è quo *gloria Deo* cumulatior fiat: & vrgeret *Sanctus*, petátne verò rem vllam sibi à cælo, per quam hîc aliquid præstare posit; eum perstitisse in sententia, *votorum* suo-

rum summam esse, vt in se compleatur *Diuina voluntas*, fiátque id, quod *maiori Deo sit gloria*. Per id gratum habuit *Sanctus*, velut à minimè degenere *S. Ignatij* filio dictum: vnde & sæpius postea recumbentem inuisit, noctu & interdiu, tam familiariter quidem, vt assideret in scamno, quod lecto decumbentis adiunctum erat, manerétque cum ipso, etiam dum cibo corpus reficeret, & ministri adessent.

Dixit ei quondam, se illum inter amicos habere, ideóque tam ei assiduum esse; iucundo igitur, & æquo animo sit. Et erat sanè æquissimo, quando cælestis istius hospitis præsentia plurimum afferebat solatij: cuius familiaritas etiam animos addidit, vt interrogaret, ecquidnam de se cōstitutum esset in cælo, *mortísne lampas, an baculus viatorius* sua se sorte maneret. Respondebat *Sanctus*, nondum esse tempus, quo liceat sibi aperire, quod nosset. Veniebat nonnunquam plurimo cum comitatu simul ad eum visentium. Quærenti, quęnam sit ea *Societas*, respondit, *suos amicos esse*: *Martyres*, subiecit *Marcellus*, *forsan Iaponiæ?* Repetijt ille, *suos amicos esse, commendabiles Domino nostro, quia iusti sint, & amici Dei*. Alio tempore iterum comparuerunt omnes, cum sua quisque candela, Sanctóque percunctante, deliberatúmne tandem habeat eligere, vel *candelam ad moriendum, vel Scipionem ad excedendum Italiâ*; perstitit *Marcellus* in eodem respon-

ſponſo, optandi id, quod ſit *maioris gloriæ Dei:* addidítque, an illi, qui comitabantur, fortè ſint manes, indigentes piaculis? reſpondit *Xauerius* iterum, *ſuos amicos eſſe*, Deo cõmendabiles: *quos tu*, inquit *rectè conijcis indigere piamine, quia tuis ſacrificijs carent.* Inferente *Marcello*, conſultum igitur fore, vt ſacra quàm multa fiant, ac Deo commendentur per preces; reſpondit *Sanctus*, gratas futuras, ſi fecerit *P. Marcellus*, vt à domeſticis multa *Roſaria* pro defunctorum animabus orentur, multáque *ſacra* peragantur: quod factum eſt. Atque ad hanc *S. Franciſci* apparitionem in ſolatia ſua, alluſit *Marcellus* in epiſtola ad ſingularem amicum ſuum, *Antonium Tellez à Silua*; vbi vouet, vt eum Sanctus inuiſat in amictu candido, cum cruce in pectore, cereo vel ſcipione in manu, comitatus regali ſua cohorte, ſicut ſolebat. *b*.

Præterea oblata eſt ei alia ſpecies cœleſtis, equitis in ornatu, vt videbatur, *Ordinis de Alcantara*, gerens in pectore crucem viridem; qui tunc ei plus non ſignificauit, quàm eſſe amicum, à quo multa in eum officia profectura ſint, minimè contemnenda. Et verò talia multa contulerunt in eum *Equites* aliqui *Alcantarenſes*, inſignes amici; vt *Comes Oliuarius*, *Marchio à Villa*, & *Gubernator Philippinarum*, omnes eius *Ordinis Equites*: de quibus poſtea dicemus.

Inter hæc oblectamenta de cœlo, gliscebat valetudinis malum. Exspectabatur dies vigesimus primus, qui in hoc genere vulnerum limes habetur, è quo bene maléue processuræ curationis argumenta sumuntur, solétque *vitæ* aut *mortis* inclinare sententiam. Fuit is trigesimus primus Decembris, & postremus anni *Millesimi, sexcentesimi, trigesimi tertij*, vbi derepente notabiliter augeri, quæ infeliciter acciderant vulneri, nouáque ingruere non minùs exitialia; videlicet spasma sinistri brachij, vt moueri non posset: penitus quoque corrumpi nerui, & musculi maxillarum, vt nulla iam neque arte, neque vi os aperiretur. Et si quando Chirones id instrumento ferreo non sinè magna violentia impetrassent, deerat facultas, vllam vel buccellam offæ, cibíue cuiuscunque, vel aquæ aut liquoris alterius guttam attrahendi, ac demittendi in stomachum. Et sic abijt illa dies cum tribus sequentibus, quibus nihil omnino sumere potuit, quo sustentaretur. Si quid autem dicere, aut petere vellet, voce id fecit adeò exili, vt ægerrimè perciperetur ab astantibus.

Quare amissa spe omni de vita ipsius, hora quæuis habebatur pro vltima, medicíque omnes eum deseruerunt, licèt non sine dolore, quòd nihil superesset in arte sua remedij. Vnicus velut in causa desperata rem inusitatam experiri aggressus est, vt indagaret, vndénam

inedia

inedia illa proueniret, à corruptione musculorum maxillæ, an à viarum ac gulæ obstructione ex copia defluentium humorum Ideóque maxima cum violentia, iterum iterúmque demisit cereum satis crassum vsque in stomachum, incredibili sanè cum infirmi molestia, nihil quidquam profutura: immisit etiam aliquot aquæ guttas, quæ tamen quia nō descenderunt, manifestè compertum est, ex læsione musculorum id mali prouenire, cui nihil humani remedij suppetit. Ergo nihil vltra tentârunt, ac potiùs ad testimonium mortis eius, quàm auxilij causâ deinceps reuiserunt ad ipsum. Iacebat autem totus exanimis, membráque sic obriguerant, nullis vt fomentis, modísque alijs posset calefieri; neque ipsius adeò foci calorem sentiebat, etsi, quàm proximè posset, ei foret adiunctus.

In hoc rerum eius articulo, *secundo Ianuarij*, qui dies Lunæ fuit, sub vesperum, venerat *P. Carolus Sangri*, tum *Prouinciæ* illi *Præpositus*, vt eum alloqueretur, animarétque ad supremum discrimen, quod instabat: is antequam ab eo discederet, impensè rogauit *Marcellus*, vt quando compluribus annis acri desiderio *Euangelij* apud *Indos* prædicandi flagrâsset, liceat sibi *votum* id explendi nuncupare, si forsân altiore consilio Deus vitam sibi donare vellet, quam vtique sibi non optet, nisi si ita gratius honorificentiúsque sit Maiestati diui-

næ. Annuit is perbenignè; ſuſcipit æger *votum* voluntate ſumma; ſed cùm ſenſim nihilominus omnia defluere viderentur ad finem, & omne horę momentum eſſe ſupremum, ſtatuunt eum *oleo ſacro* ad agonem inungere; nã de *eſca Diuina*, vt eâ reficeretur, cogitari non poterat in ea glutiendi impotentia. Dolenter intimis viſceribus ſentiebat *Marcellus*, abſcedendum ſibi eſſe ſinè illo cibo, cuius fame torrebatur longè maiore, quàm ex quatuor dierum inedia.

Quare coniectâ in *Apoſtolum Indiarum XAVERIVM* fiduciâ, petijt afferri ſibi aliquam eius imaginem. Non temerè, ſed prouidente Deo factum, vt è pluribus diſſimilibus offerretur ea potiſſimùm, quæ inductis lino coloribus referebat *ſanctum Patrem*, habitu peregrinantis, cum penula, & baculo in manu, quo ille quondam *Indorum* & *Iaponum* regiones, *Euangelij* proferendi causâ, obire conſueuerat. Appensâ eâ ad ſiniſtrum lecti latus, incepit *Marcellus* Diuo omnibus precibus inſtare, *Sacroſanctæ Communionis* gratiam ſibi à Deo exoret; crebrò inſuper ea nocte Reliquias eiuſdem, quas habebat in theca, religiosè admouit gutturi. Ortò die *tertio Ianuarij*, viſus eſt ſibi preces non vanas feciſſe. Petit igitur *S. Eucharistiam* afferri, & experimento prius facto in *Hoſtia* non conſecrata, *Diuinam* ſine difficultate ſumit, glutitque non minore ſuo

gau-

gaudio, quàm admiratione eorum, qui aderant; quæ admiratio aucta est magis, cùm iam apertâ, vt videbatur, post *Sacrosanctum epulum* viâ, nihil neque cibi, neque potûs ad sustentandas aut reparandas vires posset accipere toto illo die, vtcunque adhortantibus alijs id facere conaretur. Ità animam trahebat, continuò fluentibus è capite malis humoribus, vt mirum esset, non subitò exhalare.

a. *Processu Macaënsi. fol. 6. pag. 2.* b. *Epist. P. Iosephi Clari.*

---

## CAPVT VII.

### *Raro miraculo S. Franciscus Xauerius sanat P. Marcellum.*

a. ERat iam hora noctis nona, Patrésque & Fratres Collegij adstabant ægrotanti, quotquot conclaue commodè capiebat; reliqui cum Rectore in templo solicitas preces fundebant pro illo. Aræ iam erant lugubri cultu amictæ pro inferijs; omnia curando funeri iam parata in conclaui decumbentis: hic autem animo planè præsenti, compos loquelæ & mentis, fauces mortis intrabat, continuò se ab illa deglutiendum existimans, cùm desubitò vocem audit, *Marcelle, Marcelle.* Ille clara voce alacriter, & elatis manibus (quorum vtrumque iam diu non poterat) monet circumstantes fauere linguis, vt videat,

deat, cuia vox illa ſit. Mox iterum audit clariùs, & humana voce auguſtiùs vocantem, *Marcelle, Marcelle.*

Videbatur ſonus prodire ab imagine *S. Franciſci Xauerij*, neque dubitabat aliquid ab ea gratiæ ſibi maioris promitti. Celerrimè igitur ſe conuertit in latus ſiniſtrum, cùm ab aliquot diebus difficulter auxilio multorum poſſet moueri in lecto, & eo ipſo tempore oblitus iam eſſet loci, in quo iacebat, & eorum, qui aderant, totus animo in regione alterius vitæ, omnino remotæ ab iſta. Conuertit oculos in imaginem, vidétq; *S. Franciſcum* inter ipſam, & lectum ſuum, eodem in habitu peregrinantis, quo ab illa repræſentabatur, amabiliſſimo vultu, ſpeciéque tota benigniſſima, incredibili ſuauitate Italicè ſe alloquentem, *Rectène valeat.* Ad quæ cùm taceret *Marcellus*, ſubiunxit, *Víſne mori, an ire in Indias?* reſpondit ille ſuum ſolenne, *ſe neq; velle, neq; deſiderare, niſi quod gratiùs ſit Diuinæ Maieſtati.* Inſtare Sanctus, *an non meminiſti voti, quod herì permiſſu P. Prouincialis fecisti, eundi in Indiam, ſi Deus vitam conceſſerit? Memini probè,* inquit *Marcellus. Ergò,* ait Xauerius, *verba quæ praibo, alacriter ſequere.* Mox ordiri *Xauerius, Marcellus* repetere ſingula; ſi quæ non ſatis intellexiſſet, aut minùs bene repeteret, *Sanctus* renidens, & ore ſupra modum placido illa iterare. Circumſtantes audiebant non *Sancti* verba, 

ſed

ſed *Marcelli*, quæ voce perquàm clara dicebat: ideóque ſecum iſta ex delirio fabulari credebant, quod Medici morte iam præſente futurum cenſuerant: quamuis id alijs minimè naturæ deficientis delirium videretur, ſed aliquid ſupra naturam. Omnes autem faſſi ſunt poſtea, quamdiu res illa durauit, quodam animi gaudio ſe delibutos eſſe, quod explicare non poſſint, ſenſúque pietatis inuſitato, velut à re quapiam è cælo præſente: ſuſpenſi verò hærebant, quem res exitum ſumeret.

Id autem quod *Xauerio* præeunte orabat *Marcellus*, audientibus ceteris, formula eſt, in quam ſe, finito biennio probationis, *Religioſi Societatis IESV Deo votis obſtringunt*, adiectis nonnullis, vt ſequitur: *Omnipotens ſempiterne Deus, ego Marcellus Maſtrillus, licet vndecunq; Diuino tuo conſpectu indigniſſimus, fretus tamen pietate, ac miſericordiâ tuâ infinitâ, & impulſus tibi ſeruiendi deſiderio, voueo coram ſacratiſſima Virgine MARIA, te S. P. FRANCISCO XAVERIO, & curia cæleſti vniuerſa, Diuinæ Maieſtati tuæ, Paupertatem, Caſtitatem, & Obedientiam perpetuam in Societate IESV, & præcipuè Apoſtolicam Miſſionem Indicam, quam heri pariter voui coram meo P. Prouinciali; & promitto, eandem Societatem me ingreſſurum, vt vitam in ea perpetuò degam: omnia intelligendo iuxta ipſius Societatis Conſtitutiones, & Decreta S. P. FRANCISCI XAVERII de Indica Expedi-*

*pedi-*

*peditione edita. A tua ergo immensa bonitate & clementia, per IESV Christi sanguinem, & merita S. P. FRANCISCI XAVERII, peto suppliciter, vt hoc holocaustum & votum à me indignissimè nuncupatum, in odorem suauitatis admittere digneris: & vt largitus es ad hoc desiderandum, offerendum, & vouendum, sic etiam ad explendum, & sanguinem pro tuo amore fundendum, gratiam vberem largiaris.*

Hac oratione finita, dixit ei *Sanctus* humanissimè, iam esse sanatum: restare, vt gratias debitas agat Christo Domino nostro pro tanto beneficio. Osculetur itaque, in signum grati animi & reuerentiæ, vulnera Crucifixi, qui propè aderat, quémque fere semper manu dextera tenebat *Marcellus*, vt ei suam animam commendaret in extremo discrimine. Fecit, quod iussus est, multa cum pietate. Quærit mox *Sanctus*, habeátne aliquid *Reliquiarum suarum*: affirmanti (nam in exiguo reliquiario ad caput lecti posito habebat) dicit; *Vide, habeas in pretio*: atque iterum, an non etiam aliquid è *ligno Crucis Christi*? Etiam affirmanti præcepit, admouere parti capitis læsæ.

Sumit reliquiarium *Pater*, admouere parat vulneri: *Sanctus* nutu capitis indicat, non rectè feri; quòd non ibi malum præcipuum esset: & quia *Marcellus* non satìs intelligere videbatur, baculo de manu dextera in sinistram translato, in suo ipsius capite ostendit

partem

partem oppoſitam plagæ acceptæ, eique iu-bet admoueri *ſacras Reliquias*; ſiniſtro ſcilicet lateri retrorſum ſupra auriculam: nam indè à principio vſque maximum dolorem acceperat.

Eas dum ſic admotas tenet, ſequentem rurſus orationem dictauit Sanctus: *Aue lignum Crucis, aue Crux pretioſiſſima; me tibi totum dico in perpetuum, & oro ſuppliciter, vt gratiam fundendi pro te ſanguinem, quam Indiarum Apoſtolus FRANCISCVS XAVERIVS poſt tot exantlatos labores conſequi non meruit, mihi licet indigniſſimo largiaris* Pronunciauit hæc verba *Xauerius* inexplicabili affectu, maximè verò in illis poſterioribus admirabilem teneritudinem animi, triſtitia quadam, intimóque ſenſu permixtam oſtendit, manifeſto indicio, quantis deſiderijs in terra degens fundendi pro Domino ſanguinis teneretur, quem iam dudum cœlo receptum, eiuſdem rei non obtentæ ſenſus, & vrens quædam affectio tangat.

Poſt illa vt expeditior fieret *Marcellus*, ad *votum* explendum, ſequendúmque vexillum crucis, voluit eum *Sanctus* etiam ſecum iſta orare: *Abrenuncio parentibus, amicis, propriæ domui, Italiæ, & omnibus, quæ mihi retardare poſſunt Indicam Miſſionem, & me totum in animarum ſalutem apud Indos dico, coram S. P. FRANCISCO* adiecit *Marcellus* hæc verba; *Patre*

*meo.*

*meo, meo FRANCISCO.* Ad quæ subridens *Xauerius*, iussit eum animo hilari esse, & ea, quæ modò fecisset, iterare quotidie. His dictis & ipse *Beatus*, ac simul *morbus* & *mortalitas* omnis abscessit.

Continuò *Marcellus* aduertere cœpit, ac sentire, quæ dicebant, agebántque *Patres* circumfusi lectulo suo, quos antea neque viderat, neque audiuerat. Erant omnes admiratione, & expectatione rei suspensi, variéque loquebantur, ac sentiebant de his, quæ oculis & auribus acceperāt. Creuit admiratio, quòd *P. Marius Fontanarosa*, Præfectus ægrorum, vt ea, quæ *P. Marcellus* dicebat, meliùs perciperet, ad caput decumbentis transierit per illud ipsum lectuli latus ac spatium, in quo stabat, & cum ægroto loquebatur *S. Franciscus*, ac proinde per ipsiusmet *Sancti*, præsentiam penetrauerit sese absque difficultate. Quod idem cùm tentasset *frater*, qui ministrabat infirmo, vtcunque niteretur, non potuit, sentiens occulta quadam vi se impediri, & detrudi ex eo loco, vbi *Sanctus* erat, non sine sacro quodam horrore, pauoréque suo, & admiratione aliorum, qui id animaduertebant. Neque alia eius discriminis ratio inuenta est, quàm quod *P. Marius* maximopere cuperet proficisci ad *Indos*, iámque designatus ad hoc esset, alter non item. Vt adeò videatur *Sanctus* illi, tanquam singulari clienti suo huius per-

seipsum

ſeipſum penetrationis ac tranſitûs gratiam facere voluiſſe.

*P. Marcellus* videns redditam ſibi ſanitatem & vires, vt experiretur, an etiam appetentia ciborum rediјſſet, cibum poſtulauit. Oblatum eſt ei, quod erat ad manus; accepit, & leni aſpiratione demiſit. Quia verò venit in mentem par eſſe, ante omnia gratias vt agat ſuo Benefactori, rogauit præſentes, flexis genibus ante imaginem *S. Xauerij* recitare *Antiphonam, Verſiculum, & Orationem* ipſius; *ter* eo volente dixerunt: *Ora pro nobis S. P. FRANCISCE*, ter ipſe reſpondit: *Vt dignus efficiar promiſſionibus tuis*. Poſtea cibos allatos abſque vlla difficultate accepit, ſuis manibus aptauit, mandit, manſóſque glutiuit; admirantibus omnibus; neque ſuis oculis ſatis credentibus, ſed omnia tribuentibus delirio aut ludibrio falſarũ imaginum, ob animum ægrotantis verſantium. At ille conſtanter aſſeuerabat, integram ſanitatem ſibi reſtitutam eſſe auxilio *S. P. Franciſci Xauerij*. Quo verò id modo acciderit, ſecretò *P. Rectori* narrauit, qui iam è templo aduenerat. Is ad *gloriam Dei*, ſeruíque eius *Franciſci* honorem vulgauit mox omnibus præſentibus, quos, non habeo dicere, maiórne admiratio., an lætitia de tanto beneficio Dei in ſanando Patre perceperit.

Redierunt iterum iterúmque ad eum videndum & alloquendum, ille ſine alio admi-

niculo resedit in lecto alacer, plenus lætitiæ, affirmans se continuò surgere, ac manè sacrũ posse facere. Contemplabantur diligenter vultum illius, qui erat succi plenus, viuidi optimíque coloris, sine omni vestigio infirmitatis & inediæ, tantúmque mutatus ab illo, qualis pauld̀ antè fuerat, quantum interest inter eos, qui incorrupta sanitate sunt, & mortuos. Sumptáque protinus veste surrexit, & animosè per conclaue spatijs aliquot factis, cum cæteris *Patribus* ante imaginem *S. Francisci*, multis luminaribus collucentem, in genua prouolutus, hymnum *quo Deum laudamus* gratulabundus orauit.

Adhuc fascijs obligatum caput, & vulneris locum habuerat: eas autem vbi fidenter abiecit, nouo miraculo nulla plagæ cicatrix, nullum alterius mali signum apparuit: & capillus, qui curationis causâ strictim, & ad cutem attonsus erat, subitò creuit in formam & longitudinem reliqui, vt ne in pilo quidem indicium esset rerum, quæ acciderant. Nouam hoc admirationem, nouum gaudium attulit omnibus, quorum aliqui eo ipso tempore, quod fere medium noctis erat, abierunt è Collegio, nunciatum ista quibusdam, qui ipso temporis articulo, quo animam exhalâsset *Marcellus*, de hoc certiores fieri cupiuerant, sicut & cognatis ipsius, & *P. Prouinciali*, tum commoranti in Domo professa.

Eorum

Eorùm aliquibus res hæc viſa eſt adeò incredibilis, vt diu cunctarentur fidem tribuere nunciantibus, & ſuſpicarentur non verorum hominum dicta, ſed cauas ex altera vita ſpecies & formas eſſe, per quas iſta imaginoſæ nocti ludibria fierent. Neq; hîc omiſerim, quòd, cùm pridie *Patres*, vt nihil intentatum relinquerent, primarium quendam è Chirurgis Ciuitatis, denſo vſu Collegio notiſſimum, aduocâſſent, ad medicamentum aliquod exquiſitæ virtutis admouendum, is cōtrà, quàm ſperabatur ac ſolebat, venire omiſerit, ſiue quòd medicamentum paratum non haberet, ſiue quòd fruſtrà fore innueret; & quamuis aliquoties venire voluerit, ſemper tamen detineri ſe ſenſerit, quaſi aliquo intus in animo ſuo prohibente, ne vllo modo id faciat. Qui dubio procul fuit *Sanctus* ille, qui ità ſanare volebat, nulla vt humana virtus eius gloriæ partem libaret. Nocte tamen media ille, quia ab animo ſuo redarguebatur, quòd Aduocatus à *Patribus* operam ſuam deſiderari pateretur, ad ianuam Collegij venit, multa clamans & excuſans. Vbi verò de repentina ſalute *Marcelli* cognouit, etiam ipſe gaudio cumulatus, continuò cœpit rem diuinitus geſtam tota vrbe differre.

Interea loci *Rector* ſuis momentis rem ponderans, iudicauit eſſe dignam memoriâ, ideóque literis commendandam, donec in animis

consignatæ recens omnium partium, & adiacentium rerum notiones extarent. Rogat ergo *Marcellum*, an eam operam sumere velit, vt omnia, quæ scribenda videantur, excipientibus dictet: *quin*, ait, *ipsemet hoc robore & sanitate, mea manu conscribam?* Fecit litera multò elegantiore, quàm antea solitus esset, eique operi duas eiusdem noctis horas impendit, nihil neque detrimenti, neque fatigationis percipiens è scribendi loquendíq; labore, etiamsi tota nocte nihil omnino quietis aut somni cepisset.

Manè, qui fuit Mercurij, dies quartus Ianuarij, *P. Marcellus*, quasi si nihil quidquam accidisset, tempestiuè descendit in templum, suóque ordine hostiâ diuinâ litauit coram quàm plurimis omne genus hominibus, qui confluxerant, & aliquibus manu sua panem cælestem distribuit. Innumerabiles autem toto die conuenerunt, vt ex ipsiusmet ore audirent mirabilia Dei, in *Sancto suo Xauerio*. Fuítque noua miraculi species, nullum ei damnũ, neque dolorem obortum in capite, quo tam grauiter laborauerat, ex tam continua contentione loquendi die noctéque, cum tam multis percunctatoribus. Accessit attentio, qua sub vesperum eius diei vltra horas quinq; perpetuas astitit *Auditori Cardinalis Archiepiscopi*, vt omnia tabulis ritè consignarentur. Quæ sanè omnia integram perfectámque sanita-

nita-

nitatem ab *Indiarum Apostolo* restitutam ei fuisse demonstrant. Quæ etiam sequentibus diebus euidentior fuit, quando eadem hebdomade Matri in morbo (quo Deus eam euocauit è vita, vt nihil omnino filio *Expeditionem Indicam* retardaret) sine omni defatigatione adfuit, ipsos decem dies noctésque, licet nunquam interim posuerit vestes, aut somnum ceperit, vel ad horæ momentum.

Cùm ergo cernerentur hæc admiranda, quæ per imaginem peregrinantis *S. Francisci Xauerij* fuerant edita, visum est *Patribus*, aliísque pietate & grauitate conspicuis viris, consultum fore, vt in publico ac decente loco exponatur ad venerationem, atque etiam præsidium populi. Igitur frequentissima supplicatione totius Nobilitatis, ac populi *Neapolitani*, maximo cum apparatu ad Collegij nostri templum deportata, & in ædicula *S. Xauerij* collocata, visitur colitúrque incredibili pietate omnium; quæ multis quoque & eximijs beneficijs, mirifico modo collatis, à Deo comprobatur, de quibus longa institui posset narratio. Conclaue etiam, in quo sanatus fuerat *P. Marcellus*, in sacellum versum est, petentibus viris grauibus. Imaginis Xauerianæ exempla facta plurima. Homo, qui vltra trecēta depinxerat, cùm animum demū ad alia opera conuertisset, continuò valetudine graui oppressus, & eadem breui extinctus est, nemine

dubitante *Neapoli*, *Sanctum* noluisse manum illam, quæ sibi operam adeò gratam dederat, alijs deinde pingendis admoueri, sed protinus æternæ gloriæ mercedem recipere, pro qua in illustranda sua sacra imagine desudâsset.

a. *Informatio Neapolitana*, *Processus suprà citati*; *Relationes impressæ Neapoli*, *Florentiæ*, *Matriti*; *& testes*, *qui ex ipso P. Marcello audierunt.*

## CAPVT VIII.

### *De his, quæ Marcelli sanitatem consecuta sunt, déque alio insigni miraculo.*

QVæ miraculum illud secuta sunt, ipsa quoque mirifica, & adeò miracula fuerunt. Etenim in ipso *P. Marcello* extitit ingens ardor crescendi in spiritu, vt qui morti ereptus, & diuina electione, tam luculenter demonstrata, designatus esset muneri tam præcellenti. Quare licet nunquam non studuerit absolutæ perfectæque virtuti, tamen post illa magis Angelum se, aut hominem è cælo oriundum, quàm mortalem præstitit. Tantus in eo vitæ huius, mundíque contemptus apparuit! Vtque beneficij à *S. Francisco Xauerio* accepti se memorem exhiberet, *Francisci* nomen assumpsit, literísque subscripsit in hunc modum: *Marcellus Franciscus Mastrillus, fœlicissi-*

*mus Indianus*. Cuiuſmodi literas complures nos vidimus. Exiliebat cor eius ſola recordatione *S. Franciſci*, quem perennibus gaudijs abundans appellabat, *Mi Sancte, mi Pater*. Illum in omnibus rebus conſiliarium & auctorem habebat. Neque deerat *Sanctus* huic ſibi deuotæ voluntati, ſed alijs aliíſque beneficijs illam alebat; vt infrà dicemus.

Apud alios orta eſt admiratio, cum attenta expectatione eorum, quæ promittebantur iſto miraculo; neque parùm confirmata Religio. Manauit eius rei fama per totam *Europam*: *Hiſpania*, & aliæ Regiones, per quas transeundum erat Viro, diuinitus miſſo in *Indiam*, auidè expectabant eius aduentum. *Neapoli, Florentiæ, Matriti, Goæ*, rei narratio literis excuſis eſt edita, quibus & fama breuì vbique diffuſa eſt, & apud plurimos aucta erga *S. Franciſcum Xauerium* pietas & obſeruantia. Sed & *imaginum*, eius vſu multa contigêre, quæ ſunt miraculo. Vnum commemorabimus non multò minùs mirabile, quàm ſuperius illud fuerit. Idoneis tabularum inſtrumentis conteſtatum eſt, cuius cognitio quòd in honorem cedat *S. Franciſci Xauerij*, condonabit *Marcellus* hoc nobis, ſi inſeramus ſuæ hiſtoriæ, maximè quia tota eius vitæ ſeries cōtexta eſt iugibus miraculis eiuſdem *Xauerij*. Referemus autem non minùs diſtinctè, quàm prius miraculum, quia æquè dignum eſt cognitu.

a. In Oppido *Moymenta de Abiera*, Diœcesis *de Lamego* in *Lusitania*, inter Virgines Deo sub *Ordine S. Benedicti* consecratas, degebat soror *Maria de Incarnatione, Garayale*, viginti quinque annos nata *Gaspare Vaez de Sosa*, auditore Ducis & Equite Ordinis Christi; matre *Maria Correa*. Hæc præmebatur grauissima valetudine, præcipuè ab humore frigido, qui totum latus dexterum, à capite pedum tenus, paralysis instar, calore motúque vitali priuârat. Triennium abijt inter acutissimos dolores capitis, cum ordinario defluuio humoris, ipso gelu frigidioris. Descendebat is primùm in dexterum oculum, lumen occludendo visúmque: sæuus inde brachium permeabat manúmque, digitis non tantùm retinendi aliquid vtcunque leue, sed etiam disiungendi vim adimens.

Progressus in stomachum, obstructísque meatibus, cum triplici abscessu, pugni singulis magnitudine; toto demum latere neruos ita contraxerat, vt pes dexter sinistro plusquam palmo breuior esset. Accessit, quòd cibo vesci non posset, quin pateretur in stomacho cruciatus mortiferos, in præcordijs verò tormentum, quo & loquendi & respirandi facultas interimebatur. Somnus, quo colligendæ vires erant, & capessenda quies, vt primùm claudebat oculos, animum subductura, continuis diei laboribus & ærumnis, turbidis imagini-

ginibus ac tumultuosis impediebatur, omnis vt quies excuteretur: atque hoc toto posteriore morbi biennio.

Sic ergo miserè dilapsis horis nocturnis, cùm prima luce capitis dolores immanes redibant, & omnium artuum, articulorúmque iuncturis perustis, per summam defatigationem succumbentis naturæ, soporem adducebant molestissimum: siquidem adeò tenuis erat, vt quidquid etiam remissa, pressáque voce loquerentur adstantes, auditu perciperet, quamuis respondere non posset. Quæ interuenerunt morbo, admodum diuersa fuerunt: nam miserabili glomeramine contrahebatur in globum; pòst iterum extensa iacebat ac rigida, vt mouere sese non posset; cúmque vox omnis intercidisset, mox vociferabatur insanientis in modum; efferebatúrque vltra palmum in lectulo. Et horum quidem vices tam breues fuêre, vt nonnunquam vno die, sexies septiésque mutarent.

Non fuit in toto regno medicus, qui non consuleretur; non medicina, quæ omitteretur. Detractio sanguinis, humorum deductio, fonticuli, sudores, purgationes non plus effecerunt, quàm si pumici admouissent. Deniq; cùm artibus & apothecis consumptis, immodicè cresceret morbus, negabant, in tanta malorum congerie vitam tolerari diutius posse; restare solùm, vt à Summo Pontifice impe-

tret veniam exeundi cænobio, ad experiundas thermas Reginæ, ne quidquam intentatum relinquatur. Quam quia sperabat impetrabilem fore, mox etiam petijt. Sed Deus ac Dominus noster, qui mali victoriam seruabat alteri Thaumaturgo, primo *Iaponum Apostolo*, & Lumini Orientis *S. Francisco Xauerio*, non semel iniecit in mentem *P. Balthasari Sarabia è Societate IESV*, fratri infirmæ, vt mittat ei *imaginem S. Francisci*, quam habebat in papyro expressam eadem forma, quâ *P. Marcello* visus erat *Neapoli*, cùm eum reuocaret à morte.

Distulit hoc facere, donec *tertio die Martij* Anni *Millesimi, sexcentesimi, trigesimi septimi* sensit validiùs ad hoc impelli se, quàm aliàs consuêsset. Existimans igitur diuinitus id accidere, impetrata facultate misit *imaginem* sorori, adiecto consilio, vt manu tenens *imaginem voto* se obstringat, si potiatur sanitate, procurandi, vt *Sancti* effigies solida collocetur in templo sui cænobij, festúmque celebretur quot annis, cum liturgiæ decantatione, & sermone panegyrico, etiam posteaquam ipsa è viuis abscesserit, procurationis eiusdem alias duas sorores suas, eandem Religionem ibidem professas, velut hæredes instituens.

Ad quod vt magis animaretur, misit ei simul narrationem suprà descripti à nobis miraculi. Acceperunt eam cum *imagine* die Sab-

bathi,

bathi, qui *ſeptimus* fuit *Martij*, horâ quinta veſperi, & pariter ſanitatem. Quam primum enim legerunt miraculum illud, animíſque conſenſerunt in *votum*, quod frater ſuadebat, reſoluta eſt infirma in ſudorem, quàm copioſum, tam facilem, miniméque moleſtum. Quid ſecutum ſit, nō meliùs expreſſero, quàm verbis eiuſdem, quæ in ſeipſa experta eſt, cuius binas ad *P. Balthaſarem Sarabiam* apponam. Priores ſunt iſtæ.

*Simul primùm coram ſacra* Imagine *legi datas à R.ª V.ª cum narratione miraculi* P. Marcelli (*dies Sabbathinus erat, ſeptimus Martij*) *propoſui nuncupare* votum ab R.ª V.ª *mihi dictatum, hac ſolummodò mente, ſi* Sanctus *aliqua me recrearet ſignificatione ſanitatis reddendæ: & confeſtim eadem die circa ſeptimam horam noctis, plurimo vndiq;* ſudore *præter morem diffluxi. Dominico die multò peius habui, ingraueſcente malo, fortè ne* votum *differrem. Proceſſit inter hæc dies decimus Martij,* quo leuare me potui. *Ergo me baculi adminiculo ſubalari ad Abbatiſſam contuli, facultatem petitura confeſſione me expiandi, & nuncupandi* voti. *Poſterioris copia mihi facta, confeſſione vſq; ad pridie feſti* S. P. N. Benedicti *prolata. Obedio, & ad* votum *eadem die faciendum me paro. Eam ob rem cùm me retuliſſem in cellam, viſum eſt, nolle Deum, vt gloria ſanitatis reſtitutæ* S. Franciſco Xauerio *de-*

*bita,*

*bita, tribui posset* S. Benedicto, *si* votum *distulissem ad festum illius.*

*Mox itaq; supplex pronis genibus, coram duabus Religiosis,* votũ *ex formula à R<sup>a</sup> V<sup>a</sup> præscripta facio, solùm hoc apponens, non intermissuram me festum* S. Xauerij *quacunque de causa, ne parentum quidem aut fratrum exequijs interuenientibus; hac voluntatis meæ victima* Sancto *repræsentare volens renuntiationem affectûs, quàm animosus* Marcellus *suis parentibus, & consanguineis fecit.*

*Finieram vltima verba, cùm aliquantisper* Imaginem *pectori admotam tenui, & scipionem capessens, mirabile dictu, tibiam, quæ contracta fuerat, alteri æqualem deprehendi, & ad odæum templi tam incitato gressu perrexi, nulla vt alia me assequi posset: par lateri vigor, par acies oculo inerat: emollitus venter, qui lapidi contrà durus fuerat, ac deniq; ego tota sic ad plenam sanitatem, redieram, vt nocte sequente officijs,* Completorijs, *ac* Matutinis *adstiterim, cantarímq; lectionem vnam voce oppido bona. Fuit huius Miraculi tanta admiratio, vt sorores, quæ me viderant curriculo tendere ad Chorum, nõ crediderint suismet oculis, sed indicârint inani quapiam se specie ludi: at vbi cognouerunt granditatem* S. Xauerij, *lætis cum lacrymis* Te Deum Laudamus cantârunt, *pulsantes campana, vt omnes loci incolæ audierint attoniti rebus admirandis, quæ narrabantur. Mater* Antistes *mandauit, postridie sacrum in hono-*

*rem*

*rem* Sancti *cantari pro gratia, quam tempore suæ gubernationis fecerat miraculo tam memorabili.*

In altrra epiſtola poſtea ſcripta ſic loquitur: *Noua nuntia, quæ nunciem, alia non habeo, quàm quòd omnino liberata ſim præteritis malis.* Sudores, *quos fecit mihi* Sanctus, *cùm primùm vidi literas Rª. Vª. fuerunt continui, neque remiſerũt ſe, quamuis eſſem in frigidioribus locis, eò quòd ob æſtum temporis in alijs manere non poteram. Manârunt autem tam copioſi, vt ſtatim appareret, naturales non eſſe. Sed & eâdem ferè horâ ſolebant redire, atq; hoc* duodecies, *in honorem, vt videtur,* duodecim primorum Apoſtolorum, *quorum ſpiritum, & facultatem patrandi miracula, tam poſt mortem, quàm in viuis repræſentauit* ſanctus meus *Franciſcus Xauerius, qui hactenus in me demonſtrauit potentiam ſuam, vt poſteaquam me ſanâret, malorum cauſſam, intra corpus meum etiamnum relictam, paulatim per* ſudorem *expelleret, quod meis ipſamet oculis vidi. Vtinam is, qui per hos mihi* ſudores *dedit balneas in mea cella habere, ne cogerer exire ad alias, à quibus minus vtilitatis haberem, hoc in æſtimationem, & obſeruantiam clauſtrorum Regularium vertat.* Hactenus ſecunda epiſtola.

Si ſummam facere lubeat eorum, quæ in hac re admirabiliter accederunt, inueniemus miraculum vnum eſſe inſtar complurium. Nam eodem tempore *planta pedis* natiuam ſtabilitatem recepit; *ſtomachus* leuatus eſt humo-

re,

re, quo premebatur; *brachium* liberatum; *visus* restitutus; *capite*, quod mali totius fons fuerat, infirmitas omnis depulsa, ne vestigio quidem eorum, quæ passa fuerat, relicto: quod & suismet oculis tota illa sacrarum Virginum Congregatio vidit, vsúque comperit; *& Illustrissimus ac Reuerendissimus Dominus D. Michael à Portugallia* censuit, cùm in lustranda sua Diœcesi tanti miraculi testimonia prolata ritè examinâsset. Etenim adhibitis, vt *S. Concilij* Legibus constitutum est, viris doctis, ac *Theologiæ*, *Canonúmque Doctoribus*, vigesimo quarto die Augusti, qui *S. Apostolo Bartholomæo* sacer est, coram frequenti populo publicâ sententiâ declarauit, & approbauit vt verum & indubitatum miraculum, ac dignum, quod pro tali habeatur, & prædicetur.

Post approbationem istam *S. Franciscus Xauerius* in deuota sibi Virgine alia mirificè fecit, quorum conscij vocabant secundum miraculum. Orsa fuerat illa soluere fidem *Votorum*, quibus damnatam se agnoscebat, ac tertia die Augusti, quæ Iouis erat, *P. Balthasar Sarabia* ad Cœnobium venerat cum *Imagine votiua*, septem palmos alta, opere cælato, perfecto, & eleganti: cùm illa maximum gaudium attulit sorori *Mariæ de Incarnatione*, quæ quòd cupidissimè expectâsset, eâ conspectâ exultans erupit in illud B. Simeonis. *Nunc dimittis.* Etenim sicut biduo ante mortem confessa

est,

eſt; eo ipſo die, quo *Imago* allata eſt, nouo animi feruore inflammata *Sancto* nouendialem ſupplicationẽ decreuit, qua orabat priùs auferri ſibi animam, quàm deueniret eo infelicitatis, vt pro tanto beneficio vel minimũ ingratæ mentis crimen admitteret: potius enim ſibi eſſe mori, quàm deſiderari aliquid in ſuo aduerſùs tantum benefactorem officio. Eâ ſententiâ quotidie manè ſurgens ante alias, vt liberiùs perageret ſua ſupplicia, cum lacrymis & ſingultibus orabat ante ſacrarium, in quo *Imago Sancti* etiamnum incluſa, & inuoluta ſeruabatur, vti *Conimbricâ* venerat.

Septimo die Deus indicauit accipere ſe preces tam ſollicitas, mortémque tam deſideratam concedere. Nam cùm ſex menſibus à priore miraculo perfecta ſanitate fuiſſet, vigeſimo die Auguſti, qui octauus poſt allatam *Imaginem* fuit, ſubitò graui & maligna valetudine correpta eſt, qualis tum *Moymentæ* populabatur. Vocantur medici, ſæpius aduentant, negant ſigna mortis adeſſe. Nihilominus illa octauo die *diuina ſacramenta* flagitare; negantibus eſſe periculum, inſtare magis, affirmaréque certam ſe eſſe obitûs ſui: quantò amplius illi cunctantur, tantò maius ipſa deſiderium oſtendere. Facta demum compos votorum, luculentè meliùs cæpit habere, vt quæ duodecim diebus graues æſtus, doloréſque erat perpeſſa, vltimis duobus quietem habe-

haberet, omnésque sanam putarent. At illa his ipsis verbis eas est allocuta: *Ne vos fallat, Dominæ, mei morbi remissio; scio enim me morituram proximo die Iouis, qui erit decimus quartus, ex quo infirma sum. Neq; miremini, quòd tam constanter hoc asseram: quia illo ipso die, quo* imago mei sancti *allata est in Monasterium, cæpi Deum rogare, vt si vllo modo vnquam me ingratam ostensura essem in vita, eam dignetur abrumpere; & in hac petitione perstiti quotidie manè ante ianuam sacristiæ tum clausæ, donec sequente die Iouis, vti conspexistis, in morbum hunc incidi, & mox certò cognoui meas preces exauditas fuisse. Neque plus scire velitis, sed mihi satis est, vt nunc* Sanctus meus *dimittat. Peto igitur à meo fratre vt licat* Imaginem *promere, & exemptam arca, in qua seruatur, huc ad me deferre.*

Affertur *Imago*, trium horarum spatio apud eam remanet. Hîc erat videre, & audire, quibus beata illa anima oppleta fuerit gaudijs, vt vidit aduenisse suum illum sospitatorem, qui ipsam quærens *Moymentam* venerat, vt suis eam manibus efferret in cœlum. Modò gaudijs diffluebat in lacrymas, modò erumpebat in gratias, tùm ob sanitatem admirabiliter sibi restitutam, seruatámque sex mensibus, cùm ob exauditam petitionem mortis, quam certò sperabat: modò genibus aduoluta *Imagini*, dissuauiabatur *sanctas Viri manus*, fatigatas baptizandis tot millibus; venerabatur *pedes*, qui

qui Dei cauſa tot regna peragrauerant; commemorabat alia multa ex vita ipſius, quam probè tenebat memoriâ: modò denique inſtar *Apoſtoli Pauli* (ſic eam tum appellabant ſorores) de fæditate vitiorum, & pulchritudine virtutum ſermonem habebat, vtilia conſilia impertiens toti Cœtui, qui auſcultabat cum lacrymis & ſingultibus: peculiariter autem *Eleonoræ de S. Anna*, germanæ ſuæ natu minori, quæ ibidem educabatur, ei ſucceſſura poſt mortem. Admonebat eam, vt accepta inter Nouitias plurimùm ſemper ſtudeat vti patientiâ; vtpote nunquam futura religioſior, quàm cùm plus aſpergeretur, moleſtiæ. Denique viſenda magis fuerunt ea, quæ dixit fecítque, quàm deſcribenda.

Poſtea miſit ad fratrem, qui efflictim peterent, vt non expectata celebritate, quæ parabatur, ſineret *Imaginem Sancti.* collocari in ara: eo obtento, ſe nihil petituram in vita, ſed protinus obituram: cæterùm nihil imminuendum putaret idcircò de feſto; quandoquidem videat maiorem ſibi gratiam fieri à *Sancto*, dum è vita ſe auocat, quàm cùm antea ſanitatem reddebat. Id vbi factũ cognouit, nouâ lætitiâ geſtiẽs petiuit ex cella ſua, quæ ſublimior eſſet, deportari in humiliorem aliam, cõmuni ſororũ ſepulchreto coniunctam, inquiens, *viuam ſe ad ſepulchrum deſcendere vel-*

*le propè Templum, in quo suus iam* Sanctus *esset collocatus.*

Eâ translatâ in optatam sibi viciniam, illuxit ille dies Iouis, Septembris tertius, quem vltimum sibi fore prædixerat. Adstabat omnis corona Sororum, inter spèm & metum præstolans, vt verbis facta suppeterent: cùm horâ septimâ matutinâ, quæ toto biduo sine ardore febrili fuerat, & sine omni dolore vsque ad fatalem æstum, collocuta cum Christo, quèm in corde manibúsque tenebat, integerrimo rationis vsu inter sacrosanctum nomen *IESV* animam Deo reddidit, nata *26. annos*, *sexto mense* post recuperatam *sanitatem* intercessione *S. Francisci Xauerij.*

Quo loco notatu dignum est, *sex* illis *mensibus* eam in cælo magìs, quàm in terra fuisse; atque vt antea Regularium Institutorum fuerat seruantissima, ita post obtentam sanitatem, velut abdicatis rebus humanis, totam cælestibus defixam hæsisse, vnicè satagentem, vt *suum Sanctum* omnibus officijs coleret. Quam in rem animo perquam solerti varia excogitabat, tam in agendo (de quo prolixior esset narratio) quàm in loquendo. Nominabat eum *Dominum*, se *mancipium* illius, ac *Mariam de Incarnatione* & *Xauerio*, ad exemplum *P. Marcelli*, qui *Francisci* nomen assumpserat: eum enim, quia consimili beneficio ornata fuisset, in grati animi studijs, quantum

tum

tum posset, imitari decreuerat. Et huius etiam appellationis hæreditatem reliquit duabus suis sororibus; præter curam celebritatis annuæ *S. Francisci*.

Fuit felix hic obitus istius Virginis à toto illo partheneo habitus pro nouo miraculo, tam varia mirabiliter in eam conuenerant: suffecerit annotâsse, quod *dies Iouis* fuerit, non ille tantùm, quo allata *Xaueriana Imago* est, quoque illa nouendium suæ supplicationis instituit; sed etiam *ille*, quo in morbum incidit, quoque decessit; Deo, *sanctóque Francisco* demonstrantibus hac ipsa dierum responsione, suo nutu, ac virtute factum esse, vt quo *die* mori petierat, eodem suis viribus reuerso ægrotare inciperet ac felicissimè moreretur, meritis eius, cuius eodem *die Imago* fuerat allata. Deo, *Sanctóque* sint laudes pro omnibus, & in omnibus istis: quæ hîc referre visum est, quod pro simili beneficiò similes illa gratias à nostro *Marcello* referre didicerit.

a. *Ex propria de hoc informatione impressâ.*

---

## Capvt IX.

### *P. Marcelli discessus ex Italia.*

Redeamus nunc ad historiam serui Dei *Marcelli*, cui idem is, à quo electus fuerat in ministrum, ac testem gloriæ suæ in vltimis partibus Orientis, breuì expediuit iter, euoca-

ta ad se matre eius, vtì memorauimus, implendo, quod per Marchionem fratrem, antequam vitâ defungeretur, petierat. Coëgit miraculum illud *Superiores*, vt ei discedendi veniam ac gratiam facerent, quo videbant eum euocari à Deo. Maturauit ille abitum, quantum potuit, animos addente promissione Martyrij, de quo licet à *S. Francisco Xauerio* apertè quidem certior factus non fuerit, sed instructus tantùm, vt peteret; satis tamen certò cognôrat à Domino nostro, per quandam Dei famulam *Neapoli*, multa Cælitum familiaritate vtentem; *a.* ea iussit *Marcellum*, nomine *Dei & S. Xauerij*, magno animo proficisci in *Indiam*, quia certò sit *glorioso martyrio* defuncturus pro Christo. Et propterea nominari voluit *Felicissimus Indianus*, cuius vocatio in *Indiam* tam felix esset pollicitatione martyrij, & mortis obeundæ pro Deo. Sic impletum est, quod ei post plagam sanatam, quærenti de *martyrio* promiserat *S. Franciscus*, cogniturum, antequam *Neapoli* abiret in *Indiam*.

*b.* Aliud argumentum ei præbuit odium diaboli; cùm enim ab eo sacris carminibus *Nolæ* execrabilis ille vrgeretur ad abeundum è corpore præcipuæ cuiusdam Dominæ in Monasterio Iesv, clàm quoq; admotæ essent. Reliquiæ *S. Xauerij*, contremuit nefarius cùm pauore omnium; cúmque ignoraret *P. Marcellus*, an non dolo malo, ludibrióque id faceret,

ret, conuerſus ad ſeruum Dei, dixit minitabundus; *Ego me quidem nunc aufero, neq; poſſum tibi mali quidquam facere, ſed videbimus in itinere.* Fecit hoc ſtrenuè, totâ viâ ipſum infeſtans. Sed potens Dei manus eum ex omnibus inſidijs ac fraudibus illius eripuit.

Nouis quoque beneficijs eum *S. Franciſcus* ornauit, varijs occaſionibus propitium ſe exhibendo, non ſine magno animi ſui ſolatio. c. Magis inſigne id fuit, cùm ſacrum fecit id ædibus *Beatricis de Tufo.* Poſuerant in ara aliquid *Reliquiarum S. Xauerij* cryſtallo incluſum, inſcio *P. Marcello:* prodidit ſe ipſe *Apoſtolus Indiæ*; nam durante ſacro *Reliquiæ* illæ maximo *fulgore collucere, & illuſtrari* cœperunt, tanto cum gaudio *P. Marcelli*, vt videretur ſibi cōſtitutus in cœlo, qui ſimul ex lumine radiorum illorum inuſitato modo cognouit, eſſe *ſui ſancti Patroni reliquias.*

Fauoribus iſtis *Marcellus* reſpondere conabatur omnibus officijs grati animi, his veluti calcaribus incitando ſe ad alacriùs decurrendos calles legum diuinarum, magíſque ad beatum deſideriorum ſuorum terminum feſtinandum, deſertâ *Italiâ.* Atque hoc modo indies augebatur in eo ardor ſpiritûs, & amor in Deum. Vale *Neapoli*, patriæ ſuæ, dicturus, publicam confeſſionem errorum atque defectuum ſuorum vſque ad mediam horam fecit in conſeſſu noſtrorum ad menſam, quanto

ſuo pudore ac pœnitentiâ, tanto illorum exemplo, qui tantam animi demiſſionem in *Martyre* diuinitùs deſignato videbant.

Neque ſolus eſt egreſſus *Italiâ*, ſed cum clariſſima cohorte *Patrum XXIII. Italorum*, inſignium omnibus ornamentis & virtutibus, quos patriâ ſuâ deſiderium expulit proferendæ fidei, prouocatos exemplo hominis, è faucibus mortis erepti, vitæque reſtituti propterea, vt multis in extremis terræ oris æternam procuret, ſuámque largiatur pro Chriſto. Permagnus enim in multis ardor extiterat cum ipſo eundi in *Indiam*, qui amaris id lacrymis efflagitârunt: multi ſanguine de venis educto ſignârunt literas, quibus id contenderunt à *Superioribus*, vt omnem pro fide effundendi copiam obtinerent. Porrò in itinere *Marcellus Romam*, & principes quaſque ciuitates *Italiæ* venit, vbique deſideratiſſimus, quod operum Dei magnificorum in illo patratorum vim admirarentur, & alia deinceps per eundem efficienda putarent, qui tam ſingulari modò diuinitùs ad *martyrij gloriam* euocatus, ac deſignatus fuiſſet. Ipſe verò ex omni re, quæ occurreret, argumenta *mortis* pro Chriſto ſubeundæ, & augmenta deſideriorum ſuorum accepit, præcipuè verò ſacratioribus locis in *Catacumbis*, *Laureti*, *Aſſiſij*, *Regij*. *Mediolani* autem plurium virorum ſummatum animos

mos

mos diſſidentes compoſuit. Quæ pluribus deſcribit P. Cinamus.

a. *Relatio Philippina impreſſa*, *& proceſſ. Macaënſ.* b. *Proceſſu Manil. fol. 117.* c. *Eodem fol. 117.*

## CAPVT X.

### *Venit in Hiſpaniam.*

EAdem reuerentiâ cultus eſt in *Hiſpania*, cùm ad eam peruênit. Honor, quem habuit ei *Matriti Philippus IV.* videri queat ex impulſu cæleſti fluxiſſe, Maieſtate Regis terreni ſuſpiciente illum, quem Superi declarâſſent regnaturum ſecum in cœlo. Omnium opinionem ſuperauit, à tanto *Monarcha*, *pauperem Religioſum*, *ſubditum ſuum*, honoribus amplioribus decorari, quàm viri principes conſueuerunt. Fertur enim *Rex* incredibili humanitate, maximo ſenſu pietatis permixta, ad eum alloquendum propiùs acceſſiſſe, non ſinè reuerentia quadam interna; reliquum occultante modeſtia tam chriſtiani, quàm regij pectoris. Sinè cæleſti aliquo mentis inſtinctu non fuit pietas tanti *Regis*, ità aduenerantis eum, qui moriturus erat pro fide ſui Redemptoris; nec ſinè diuino quodam conſenſu fluxit in venis regius ſanguis ad præſentiam eius, qui erat fundendus pro Christo.

Auxit pretium fidei in animo *Regis* tam

beata sors viri, ad eius prædicationem, imò & contestationem animæ profusione destinati à Deo: neque censuit alienum à dignitate regiæ suæ personæ honorare *martyrium*, quod *Rex Regum* condecorat laureâ. *S. Antonius de Padua* cùm diuinitus cognouisset, hominem quendam, conditionis vulgaris, *martyrem* futurum, eodem spiritu motus, quo edoctus fuerat, flexis eum genibus est veneratus. Idem nunc spiritus effecit, vt is, qui armis fidem propugnat, honoraret eum, qui dira patiendo erat eandem assertûrus. *a. Sebastianus Rex Lusitaniæ,* ductus opinione, quam de sanctitate *Sutoris Olyssipponensis, Simonis Gomez* habebat, quondam sibi eum assidere voluit, colloquiũ cum eo facturus: Alio tempore ad consilium de Regni sui statu admisit: quin publicè quoque in Templo *S. Rochi Olyssippone* aduocauit intra siparium suum, vt frueretur eius alloquio, cuius ore Deum loqui censebat. Decet enim *Maiestatem terrenam* non æstimare solùm, sed etiam honorare sanctitatem hominum, quos ipsa *Maiestas Dei* honorabiles habet: neque indignum est regijs animis venerari Diuinitatem, quæ in excellenti virtute relucet.

Sub digressum petiuit Rex à *P. Marcello* singulari affectu & pietate vt Deo commendare se velit, suámque Domum & statum; ac videre, ecquid abs se gratiæ præstari sibi desideret.

deret. Deniq; commendatis ei *Prouincijs*, quas habet in *Indijs*, multiplici gratia euntem est prosecutus. Non postrema est illa, quod ipsius causâ, contrà quàm *Lusitana Lege* cautum est, potestatem concesserit *Societati IESV*, annuos prouentus in eo Regno habendi pro *Collegio Nangasachij*, ciuitate *Iaponiæ*; consideratione maximi fructûs, quem *Societas* ex ijs locis reportat, ac peculiari deuotione animi sui erga *S. Franciscum Xauerium* ductus, qui in Oriente tot Mortales ad Conditorem reduxit: quemadmodum perquam honorificis verbis in duabus suis declarat.

Adiecit hoc insuper, vt *P. Marcello* copiam faceret cum multis *socijs* proficiscendi in *Indiam*: ijs omnia necessaria regio sumptu munificè præbens. Quantum *pietas* hæc tanti *Monarchæ* animum serui Dei sibi deuinxit, tantum addidit confidentiæ de suo studio Religionis extendendæ: quare *Manilâ* ad eum, posteaquam magna Insula *Mindanao* capta est, scripsit his verbis: *Supplico* Vestræ Maiestati *toto affectu cordis mei, vt mandet citò venire quadraginta Sacerdotes* è Societate IESV *in has* Insulas, *ad erudiendos populos* Mindanai: *quod Deus Dominus noster remunerabitur. Ego de me possum affirmare* Vestræ Maiestati, *seu viuum, seu mortuum fore fidelissimum seruum, & cupientissimum incrementorum sui Imperij: & confido in Deo, me hoc longè faciliùs procuraturum inter*

*plagas ac tormenta* Iaponiæ, & *vt verius dicam, in cœlo.*

Non minor fuit in eum *pietas Reginæ*; ac multiplex gratia quæ etiam pretiosa quodam ei munera dedit ad exornandum Goæ ſepulchrum *S. Franciſci Xauerij.* Noluit verò quidquam de *Reliquijs* eiuſdem accipere, niſi per manus *P. Marcelli*, exiſtimans eâ ſolertiâ ſe duplices habituram *Reliquias.* Quanti præter alios aulæ proceres, faceret eum *Dux Oliuares*, affabilitate ſignîſque multis luculenter oſtendit: honorabat eum, quaſi iam tum ſanctis adſcriptum. Nullum tamen argumentum voluntatis ſuæ in illum clarius fuit, quàm cùm per ingratam illi gratiam id molitus eſt, vt moram *Indicæ* profectioni injiceret, ac detineret hominem in alijs quibuſdam rebus ad bonum commune Regnorum iſtius coronæ, magnúmque obſequium Dei ſpectantibus.

Sperabat enim eius præſentiâ & ope, multum acceſſurum ad recuperationem *Braſiliæ*: promittens poſtea inſtructam nauē ad omnia regna *Hiſpanica*, & quidquid opus eſſet ad ingreſſum *Iaponiæ.* Excuſauit ſeruus Dei, quòd ea ratione violaturus eſſet fidem *voti* à ſe facti, continuò pergendi in *Iaponiam.* Verùm excuſatio, quam æſtuans ad paratam ſibi coronam animus ei dictârat, non ita in cœlo probata eſt, quin prius, quàm *Iaponiam* attingeret, peculiare aliquod beneficium conferret in *Hiſpa-*

*ſpaniam*; ſicuti videbimus in obtinenda Inſula *Mindanai* feciſſe. Memorant hic alij complura *miracula*, quæ, *Matriti* patrata ſunt, inuocato nomine *S. Xauerij*, poſteaquam *P. Marcellus* eò veniſſet: quæ lubens omitto.

Diſceſſit *Matrito Olyſſipponem*, cum poteſtate regia, in *Indiam* ducendi ſecum *è Societate quadraginta*. Difficiles primùm fuerunt *Miniſtri regij in Luſitania* ad tantas impenſas, & contrahere conati ſunt numerum ad *octodecim*, graui cum mœrore *ſociorum*, qui tanto ardore profectionem hanc impetrauerant, & ſola dilatione cruciabantur. Sed exiſtimatio ſanctitatis *P. Marcelli*, mentíſque deuotio ad *S. Franciſcum Xauerium* fecit, vt intra paucos dies mutatis animis illi, vtcunque aliàs rationibus regijs attenti, concederent tandem conſcendere *Patribus*, quotquot vellent. Hanc mutationem *P. Marcellus* in commentario ſui itineris *Indici*, Reginæ dedicato (cuius poſt hac ſæpius mentio facienda erit) adſcripſit patrocinio *ſancti ſui Xauerij*, multùm dilaudans beneuolentiam & benignitatem *Miniſtrorum Regis*: quibus hæc addit. *b. Dominus Marchio de Puebla, cùm vrgeretur quadam die maiorem in modum à* Patre *quodam*, ſocio noſtro, *vt ſuum nos detinendi conſilium tranſigeret eum* P. Prouinciali Portugalliæ; *reſpondit, ſe quamuis* P. Prouincialis *reliquerit totum negotium ſuo arbitrio, nolle tamen vllo modo*

*do im-*

*do impedire quemquam eorum, qui à* Sancto *electi sint ad expeditonem tam felicem; isto responso tam christiano consignans omnia reliqua, quæ cum admiranda pietate ac studio gloriæ Diuinæ fecit in nostrum fauorem.* Hæc *Marcellus*, qui sine dubio gratiam referet in cœlo pro ea voluntate, quam ita propensam agnouit in terra, & qua *Marchio* tam copiosè prospexit *ipsi*, & *socijs* de necessarijs ad profectionem tam longam, & suos seruos adesse voluit, vsque dum nauem intrarent.

Non iudicauit seruus Dei nauigandum sibi absque *imagine sui gloriosi peregrini*, *& patroni S. Francisci Xauerij*, licet eandem in corde suo consignatam haberet. Obtulerat vnam *Reginæ* ex ijs, quas attulit secum ex *Italia*, & alteram *Duci de Oliuares*; cúmque per experientiam nosset, vt frustra *Neapoli*, *Romæ*, *Genuæ*, & *Matriti* laborârit aliquam reperire, quæ *Sanctum* ad viuum referret, existimauit, actum se acturum, si aliquam *Olyssippone* quærere vellet, vbi vltra octauum diem mansurus non erat. Quamuis autem alia essent, cur ad *Collegium S. Antonij*, *seminarium nostræ Societatis*, recipere se deberet; eóque venisset magis vt solatium, quàm spem secum proficiscendi afferret *Patri* cuidam, qui hoc exoptabat: nocte, quæ secuta est diem Mercurij habdomadæ sanctæ, inclusit se in conclaue, in quo religiosus quidam è *Societate* picturam exercebat,

artis,

artis, vt habebatur, bene peritus. Hic ambo tota nocte laborarunt, *P. Marcellus* dictando colores & fila *Xaueriana* imaginis, alter penicillo reddendo dictata. Die illuceſcente *P. Marcellus* in ſtuporem datus eſt viſa *Imagine*; quia non modò *Sanctum* ad viuum repræſentabat, præquàm vlli præſtantiſſimi pictores *Europæ* feciſſent; verùm etiam pietate ac reuerentiâ perfundebat ſpectantes, ſpiritu quodam & maieſtate cæleſti, vt non dubitaret ſupra naturæ morem, & miraculo efformatam fuiſſe. Atque vt mirifica fuit *Imaginis* eius origo, ita mirabilia ſunt, quæ poſtea per eam Deus effecit, vt infrà non ſemel dicetur.

Septimo die Aprilis anno 1635. cum *tribus & trigenta Patribus è Societate*, quæſtum animarum in *Oriente* facturis, & *Rectore* multiſque ex *Collegio S. Antonij*, ſeruus Dei *Sereniſſimam Principem Margaritam, Gubernatricem Luſitaniæ*, valedicturus acceſſit. Excepit illa perhonorificè, ipſúmque & *ſocios* animauit ad heroicas virtutes, & exempla *glorioſi Apoſtoli Franciſci Xauerij*. Eodem die cum ſex *Italis*, ac tribus *Luſitanis Patribus* conſcendit prætoriam: in altera reliqui viginti très collocati, ſeptem *Luſitani*, quatuordecim *Itali*, duo *Germani*. *P. Marcellus* pro felici omine nauigationis accepit, quòd ſe non procurante fieret, vt eadem die, qua *S. Xauerius* olim, in eodem portu, eadem & mente nauim intrarent.

rent.

rent. Similiter vectores ex aspectu huius amici Dei, & Societate illius maximè lætabantur, securitatem ab eo sibi pollicentes.

Prima hac die *P. Marcellus* & *socij* plurimùm sibi inuicem gratulabantur, ac Deo, *Sanctóque Francisco Xauerio* gratias agebant pro sorte tã gloriosa. Et quia defectu ventorum non potuit solui ante diem mensis decimum tertium, seruus Dei in media puppi, altiore parte prætoriæ, dedicauit sacellum, in eóque duas aras posuit, alteram picta *Imagine Sanctissimæ Dominæ nostræ* exornans, alteram miraculosa illâ *S. Xauerij*, quam scribit ipsemet in Cõmentario, fuisse commune solatium, tam longi laboriosíque itineris, & vnicum thesaurum, quem secum gestare velit vsq; ad mortē. Postea statuit aliud altare in loco magis publico, supra conclaue *Generalis Capitanei Antonij, Tellez à silua*. Cùm autem iam vela daret prætoria, *P. Marcellus* ac *socij* in sacellum se contulêre; ac prostrati ante *Xauerianam imaginem* eius tutelæ se commendarunt, & instaurando *vota* religiosa ex formula, quam *Sanctus* ipse *P. Marcello* dictârat, obarmarunt seipsos, & animarunt aduersus ærumnas, quas in hac nauigatione expectabant, suísque desiderijs dimetiebantur: quales videlicet *Neapoli* diabolus fuerat comminatus. Præfectus reliquis fuerat *P. Marcellus*, verùm is pro minimo & seruo se omnium gessit, quotidie donec iter durauit,

uit, mensæ ministrando, & humillima quæq; officia exercendo.

a. *Manuel Vega in vita Simonis Gumez lib. 2. cap. 1.* b. *P. Marcellus in relatione sui itineris in Indiam.*

## CAPVT XI.

### *Discedit in Indiam.*

FVit hæc nauigatio ærumnosior, quàm vlla in *Indiam*, & laboriosissima corpori, quamuis animabus fructuosissima, dum Deus patefacit prouidentiam suam paternam in maioribus periculis, & suum quoque tutamen *S. Franciscus Xauerius*, qui toto itinere se illis præsentem ac propitium exhibuit, refrænando furias infernas, quæ deuouerant caput sui clientis *Marcelli*, & conabantur eum vel sub terram detrudere, vel iter intercipere, vt in Oceano sepeliretur. Armauit in eos diabolus elementa & homines; iísque nihil proficientibus, per seipsum tentauit eos debellare formidabili aspectu, omnibus dolis malis instructus. Non poterat æquo animo ferre classem, qua veherentur tot negotiatores animarum, & rerum cælestium; neque sustinebat tot emendationes morum per adhortationes *P. Marcelli* fieri solitas. Hinc feri fluctus, hinc malacia, hinc venti contrarij, hinc errores nautarum, hinc terrores & occursationes vmbrarum;

brarum; hinc denique naues *Batauorum*, quæ insidiabantur duabus nauibus *Lusitanis*; vt quod per stygiam vim non poterat, per prædones obtineretur. Tanta fuêre pericula, vt, quemadmodum in Commentario notauit ipse *P. Marcellus*, si quidem vellent penetrare ad portum, opus esset aliquem *Sanctum* è cælo venire ad clauum, & simul offerre se pro lucerna polóque, & ab eius auspicijs remedia in necessitate capessere.

Neq; defuit eis cælestis hic gubernator, qui in tantis necessitatibus eos defendit, ac protexit; fuítque non alius, quàm *S. Franciscus Xauerius*, cuius amore cultúque serui Dei omnes in tantum affecit, vt compellerent eum supra vires & spes humanas eodem anno saluos *Goam* perducere. Quantus autem esset hic omnium animus erga illum, *P. Marcellus* ipse describit, his verbis: *a. Duces, milites, nautæ, vectores reliqui in prætoria, pleni magnâ fiduciâ in* B. Xauerium, *nesciebant aliud loqui toto itinere, neq; in alia re spem suam ponebant; ne in ipsis quidem periculis, & maioribus difficultatibus aliud audiebatur, quàm hoc verbum:* S. Franciscus Xauerius nos hoc anno Goam perducet. *Ipsum solum vocarunt in vota, solum statuerunt præsidem viæ. Atq; ita quotidie bis post Litanias vesperè, & postea sub noctis crepusculum pijs manibus placidam quietem à Deo precati, omnes genibus nixi, alta voce dicebant:* Laudetur sanctissimum

ſimum Sacramentum, & Virgo Domina noſtra concepta ſine hæreditaria labe, & glorioſiſſimus Apoſtolus Indiæ S. Franciſcus Xauerius, præſes noſter, & cuſtos. *Contulerunt etiam grande æs ad quoddam ſodalitium* Xauerianum *inſtituendum* Olyſſippone; *quod poſtea multùm creuit indies per piſcatores, qui pecuniam duorum menſium capturâ redactam Sancto donarunt.*

*Vnde quidam facetè dixit quodam die*, Deum bonum, vt friget hoc anno tota piſcatio, conſumente illam S. Franciſco Xauerio! *Glorioſiſſime Sancte, tui ſanctus amor quid non homines docet? Non alia infirmis leuatio fuit, quàm ſtudioſè te implorare: non alia recreatio ſanis, in tam faſtidioſo itinere, quàm nomen tuum inuocare.* Hactenus *Marcellus*, qui alibi hęc addit. *Omnes multùm intereſſe putabant, vt S. Xauerium appellarent noſtrum gubernatorem.* Omnes tamen ſtudio erga eundem anteiuit *Generalis Antonius Tellez de Silua*, qui, vt ait in Commentario *Vir Dei*, vſque adeò ſpem ſuam in illo defixerat, vt omnibus ipſe, quoties iam ſpes defeciſſet eo anno *Goam* tangendi, animos adderet, aſſeuerando etiam inter grauiora pericula, quàm hæc eſſent, potentiâ *S. Franciſci Xauerij* futurum, vt non alibi, quàm *Goæ* hibernent.

Deniq; adeò proceſſit eius fiducia, vt cùm quadam die alij Religioſi ſupplicationem indixiſſent, propalàm dixerit; *Etſi benę perſpectum*

F *ſibi ſit,*

*ſibi ſit*, omnes Sanctos *eâ gratiâ eſſe apud Deum, vt impetrare poſſint idoneum ventum, nunc tamen haud alteri datum iri, quàm* S. Franciſco Xauerio. Tam forma in eum ſemper ſpe fuit, verus hæres virtutis illuſtriſſimorum parentum, & auorum ſuorum.

Non eius tantùm fiduciæ erga *S. Xauerium* auctor fuit *Marcellus*, ſed etiam aliarum exercitationum Chriſtianæ pietatis, vt frequentarentur *Sacramenta diuina*, ad preces tota naue ſæpe confugerent, recitarent quotidie publicè *Litanias*, aliáque ſimilia facerent, animorum Deo deuotorum. *Primis menſibus* quotidie Chriſtianam doctrinam, & myſteria fidei rudibus tradidit, etiam primarijs hominibus, & Religioſis Ordinum aliorum, non ſine pio ſenſu auſcultantibus. *Quotidie* quoque ſub noctem enarrabat hiſtoriam aliquam, vel de animabus expiantibus noxas, vel de grauitate peccatorum, ad morum emendationem documenta decerpens. Quo factum eſt, vt multi vel omnium totius vitæ, vel certè proximè præteriti temporis errata confiterentur, damnarent luſum, & alia virtuti contraria. *b.* Quidam cùm agnouiſſet ſe habere mendaces aleas, ne illas vlteriùs aſſeruare deberet, continuò proiecit in mare. Nobili genere homines, qui ſimul vecti ſunt, negârunt, ſe totâ vitâ toties ac tam accuratè obijſſe *Sacramenta Pœnitentiæ*, & *Euchariſtiæ*, quàm octo illis menſi-

mensibus nauigationis, in gratiam *S. Francisci Xauerij* fecerant. *Quarta* quáque *Dominica* celebrata est *Communio Generalis*, vt assolet in Templis *Societatis*, præeunte semper *Capitaneo Generali*, eâ frequentiâ, vt primâ vltra 500. numerati sint; tantùm semel trecenti, cùm tempus valde incommodum esset.

Multos commouit *Pater* inflammatis sermonibus, vt agerent seriò consilia de procuratione salutis æternæ, quam plurimis annis minùs cogitatè tractarânt. Nec pauci disciplinæ ac mutatæ vitæ conspicua exempla præbebant. Vix erat, qui non totius vitæ, aut plurium annorum perperam acta apud sacerdotem cum pœnitentia reputâsset. Instituit Sodalitatem hominum Nobilium & Religiosorum, vtilissimo multis exemplo; in eam non admittebatur, nisi qui peccatorum totius vitæ confessionem fecisset. *Præfectus Sodalibus Generalis Capitaneus fuit.* Altera sodalitas fuit eorum, quos quia inter alia studia pietatis obligauit pactione, semel quouis mense Diuinam synaxin celebrandi, extra *quartam Dominicam*, sodalitatem *spiritualis pacti* vocarunt. Prima Synaxi fidei professionem edebant: ea fuit *sexta die Maij*, ac censuit quadringentos. Nihilominus *Communio quarta Dominicæ* non omittebatur, vtì neque aliorum festorum, quę suo quisque tutori Sancto non absque solemni ritu agebant. Quibus studijs ille omnes

tota naue pietatis ardor accendit, nulla vt vnquam antea nauigatione *Indica* tanta *sacramentorum* frequentatio fuisse memoretur.

Præter hæc opera pietatis, alia multa charitatis erga egentes & infirmos exercita sunt in naue, principium faciente *P. Marcello*, quem strenuè secuti sunt *socij*. Vnde quod è suo commeatu liberaliùs elargiti fuissent inopibus, breui ad magnam egestatem redacti, & coacti sunt vnciatim alimenta diuidere: quo illi vnciario victu, strictóque ieiunio multùm delectabantur, propter oblatam sibi occasionem aliquid perpetiendi pro Christo; neque tamen contraxerunt vela charitatis erga sanos & ægros; quia multos variæ necessitates inuoluerant: *Non solùm*, inquit P. Marcellus, *erant multæ valetudines periculosæ contagiosæq́ue, sed etiam pergrauis apud omnes annona; neque poteramus nos, vt adhuc feceramus, de nostro succurrere; quia per duos menses victitauimus pauxillo oryzæ, semel quotidie coctæ in aqua marina. Fuit nobis magno solatio, postremis duobus mensibus, nostris votis ita copiosè respondere patiendi materiam, quàm in victu, tam in alijs rebus: nihil enim remittentes de exercitijs pietatis, quoad institutiones, sermones, Confessiones, supplicationes, & flagellationes, aliáque ministeria* Societatis, *operam dabamus ægrotis, diu noctúque: nullus enim excessit è vita, cui non assisteret vnus è* socijs: *nullus nos aduocauit, cui non adessemus*

con-

*confestim, absoluendo à noxis, animando, cibum præbendo, sæpius etiam præparando & coquendo, sternendo lectos, admouendo medicamenta, ac deniq; nihil omittendo eorum, quæ sedulos & amantes ægrorum ministros facere condecet: & quia deficiebant nos corporum, animis alimenta cælestia dedimus.*

Addit: *Et sic in tanta multitudine ægrorũ, nauigationis tã diuturnæ, octo mensium tempore, non plures mortui sunt in naue prætoria, quàm 22. quod nemo est, qui non pro miraculo habuerit*, Sancto Francisco Xauerio *id acceptum referendo: quia cùm iter vltra sex menses non durat, non pauciores centum in qualibet naue mori solent.*

Atque hoc exemplo magìs *nostrorum Patrum*, quàm adhortatione motis vectoribus plurima Charitatis & misericordiæ in naue exercitatio erat; nemo tamen anteuertebat *Generalem*, cuius Virtutes quia toties memorat *P. Marcellus*, non est, quod nos silentio prætereamus. sic scribit: *Tam liberalis & magnificus fuit, vt cùm ferè maior pars nauis ex inopia necessariorum, in tam longo itinere, morbis decumberet, ipse pro argumento pietatis & munificentiæ suæ occasionem istam accipiens, maximâ vigilantiâ & præsentiâ suâ, suorúmque ministrorum communi necessitati opitularetur, & subueniret alienis miserijs, non sine facultatum suarum dispendio. Meritò proinde pater pauperum, ac tutor nauis est appellatus. Præcipuam verò nostri curam*

*habuit, è sua mensa nobis submittens, nostros ægrotos inuisens, & vltra quatuor menses nos omnes è suo sustentans: nam ipsà adeò aquâ carebamus. Atq; hæc omnia voluntate tam propensa piáque factitauit, vt perpetua nos obligatione sibi deuinxerit.*

Alio loco eiusdem Commentarij, commemoratis ærumnis nauis prætoriæ, hæc addit: *Plurimùm nos iuuit eximia liberalitas* Domini Prætoris, *quæ satis prædicari non potest; quia communes metas virtutis excessit; vt soliti fuerimus dicere, tantùm non vestem suam oppignorâsse.*

Ad exemplum tam illustre, inter alios, minore censu viros, tanta contentio extitit iuuandi *P. Marcellum*, & *socios* eius, in suis necessitatibus, vt felices reputarent se, quibus contigisset aliquid eis impertire. Fuit nauta, qui quòd *P. Marcellus* non acceptasset ab eo oblata melimela, pro ægroto quodam è *socijs*, illo absente accessit eos clanculum, obtestans per Dei & *S. Frencisci Xauerij* amorem, vt acciperent. Addit S. Marcellus: *Dici non potest, quantum debeamus* Magistro nauis, Sebastiano Fernandez, *qui totoi tinere patris in modum nos iuuit omnibus rebus, ipsa adeò aqua dulci & salubri, quam pro seipso habebat, pluuià interim vtens à seruis suis exceptâ: sentiebátque grauissimè optimus senex, si quid nôsset ab alio nos accepisse, quo ipsemet iuuare nos poterat.* Hæc gratissimi animi Pater; ex quibus apparet, quantùm præclaris exemplis, & bono odore Christi, quem

sparsit

ſparſit ſeruus Dei, iſtos iuuerit, cuius charitatem tantoperè ſunt amplexi & imitati.

Sed & alij multi pietati erga *S. Xauerium*, & venerationi clientis eius *Marcelli*, coniunxerunt inſignia opera charitatis, & aliarum virtutum, quas præcipuè ſuo fauore quærebat *S. Apoſtolus Indiæ*, non tam ſpectans, vt nauigatio præſentiâ ſuâ, quam in quibuſlibet ſuis temporibus experiebantur, admirabilis eſſet; quàm vt fructuoſa animabus nauigantium, ſicut oſtendimus; patrocinio ſuo ac defenſione efficiens, vt ab operibus pietatis nunquam ceſſarent. Prout apparebit ex hiſtoria, quam de hac nauigatione *P. Ignatius Staffort* emiſit, & capite ſequente hîc recitabimus.

a. *Relatio P. Marcelli de ſuo itinere.* b. *Proceſſ. Macaënſis. pag. 5.*

## CAPVT XII.

### *Profectio Indica.*

PRæterito menſe Aprili, Anni Milleſimi, ſexceteſimi, trigeſimi quinti, ambas naues in ora *Guineæ* ventus defecit, cooperuit verò omnis miſeria, locis illis infauſtis conſueta. Et quia in ſeptimo gradu latitudinis Borealis, aura quadruplo languidior eſſe cœpit, quàm, ad *Promontorium bonæ ſpei* prænauigandum eo anno, neceſſarium erat, cùm nihil ſuppeteret opis in rerum natura, contu-

ſerunt animos ad exorandam Diuinam. Ergo *Patres Auguſtiniani tertium diem Maij* feſtum *Inuentioni S. Crucis* Liturgia ſolenni, & Concione fecerunt: proximum *PP. Dominicani S. Monicæ*, pari ſolennitate celebrauerunt. Multæ largitiones pauperibus factæ in honorem Diuorum, præcipuè verò *Conceptionis Deiparæ. Decimo ſeptimo* eiuſdem menſis ſolenne inſtitutum eſt triumpho Chriſti Domini noſtri, *aſcendentis in Cœlum. Decimo nono* die *P. Marcellus Imagine S. Xauerij* propoſita, tanto ſpiritu & ardore dicendi ſpem omnibus fecit eodē anno *Goam* perueniendi, vt confeſtim ſimul omnes elata voce *votum* ediderint, ſolenne feſtum *Sancto* celebrandi, ſi vltra *Braſiliæ* plagas nauem perducat.

Nocte proxima *P. Marcellus* militis, vehementiſſimo dolore iam depoſiti, confeſſionem excipiens, eum ad opem à *S. Franciſco Xauerio* petendam hortatus eſt; qui admotis parti affectæ *Reliquijs* eiuſdem, ac recitato *Euangelio*, continuò plena ſanitate, roboréque antiquo donatus, ſurrexit exclamans, *à S. Franciſco Xauerio ſanatum ſe eſſe*. Multùm ea res confirmauit animos omnium, quod argumento eſſet, *voto* communi non minùs propitium fore: cuius etiam *quarta die Iunij* damnati ſunt, prætoriâ ad æquatorem perductâ; quæ vigeſimo octauo Maij in tertio gradu altitudinis Borealis reliquit ſociam nauem, ità

lentè

lentè pergentem, vt nullo pacto videretur eo anno prætoriam aſſecutura in *India*, vtcunque remis certaret. Sed *S.Xauerius* etiam hunc mœrorem abſterſit, vtramque in portum optatum perducens. Die *decimo tertio* Iunij, quo glorioſum *S.Antonium de Padua* ſolemnibus Veſperis, Officio, Concione, & ſupplicatione colebant, prætoria ad altitudinem *Promontorij S. Auguſtini* peruenit. *Vigeſimus primus* Iunij feſtus *B. Aloyſio Gonzagæ* fuit, quo *P. Marcellus* omnem pueritiam, rebus diuinis idoneam, quæ nondum pane cæleſti vſa fuiſſet, tota naue conquiſiuit, ritéque inſtructam ſacroſanctæ menſe admouit; ſexaginta fuêre.

*Secundo* Iulij *P. Marcellus* incidit in grauiſſimum morbum. Triduo ſummos dolores perpeſſus, cùm nullâ medicinâ iuuari poſſe videretur, miſſo ſibi à prætore mirifico oleo *Dominæ noſtræ de Natiuitate*, quod Deiparæ deditiſſimus eſſet, ſanatus eſt. *Vigeſimo quinto*, quo ſolenne *S. Iacobo* celebratum eſt, prætoria in altitudinem *Promontorij Bonæ ſpei* deuenit. Quia verò legibus nauticis nequaquam illud licet præteruehi, priuſquam apparuerit continens *Africæ*, neceſſariò curſus ità dirigendus fuit, vt in eiuſdem altitudinis lineà decurrreret nauis, maximè ancipiti, magníſque periculis expoſitâ ſemitâ, propter tumultuoſum ea regione maris ingenium.

Visum est igitur publicè instaurare *vota* facta *S. Francisco Xauerio*: vnde id consecutum est, vt die *trigesimo primo* Iulij, qui sacer est glorioso Patriarchæ *S. IGNATIO Promonatorium* præterirent, licet minimè ipsis conspicuum, quòd nebulâ densissimâ tegeretur. *Secundo Augusti* defuncti periculo, & solicitudine tanta conspicati sunt summa *Promontorij* iuga, & festum *S. IGNATIO* Cætum celebrauerunt, quòd *P. Marcellus* in eum diem distulerat. Notauit autem, *S. Xauerium* ità suos clientes voluisse solari, vt gratiam beneficij suo desideratissimo Patri *S. IGNATIO* cederet.

Paucas horas tenuit gaudium oblatum conspectu cacuminum *Promontorij*, cùm sæuissimi venti, qui voluunt id mare, pulsârunt, ac toto triduo detinuerunt prætoriam, non sine grauissimo cruciatu vectorum. *Quinto* verò *die* duplicatum eis gaudium fuit sociæ nauis accessu, quam perditam opinabantur, sed vis ventorum præter omnem spem iterum compulerat ad prætoriam; Deo dum sic parat implere pium eorum præsagium, vtriúsq; simul nauis in portu *Goano* constituendæ per *S. Xauerium*, commendante benignitatem prouidentiæ suæ, quæ effecit, vt quod pro malo acceperant, eis verteretur in bonum. Felix nauigatio, qua *S. Franciscus Xauerius* non tantùm in secundis & prosperis ventis,

verùm

verùm etiam in furentibus & languidis exhibuit ſe propitium; vt mox dicetur.

Nauis prætoria à *ſecundo die Auguſti*, quo *promontorij* iuga conſpexit, iam centum leucas decurrerat, opinione naucleri; à quo etiam extra *Inſulam S. Laurentij* directa erat, cùm in vigeſimo ſecundo gradu latitudinis Auſtralis damnatâ, quam̃ inierat, viâ, cenſuit ipſemet fieri non poſſe, vt eo vento dictam *Inſulam* ſuperarent; ſed vel redeundum eſſe verſus *Promontorium bonæ ſpei*, vt altiore ſemita tenderent, vel in eadem inſula, aut *Africa* ora nouum capeſſerent curſum: & quamuis interior videretur præſtare, quia tamen illi erat inſuetus, hærebat magnopere, maximè quòd certus non eſſet, an eo vento intra plures dies poſſet peruenire vltra illa æſtuoſiſſima loca. Ergo *P. Marcellus* ad *Sanctum* nauigationis ſuæ *Præſidem* in ea turbatione confugiendum eſſe ratus, eleuata in altum eius mirabilium auctore *Imagine*, ſupplicationem indixit, & ardenti ſermone omniũ animos erexit, vt confiderent à cœlo correctum iri, quod homo non ſanè volens ac ſciens erràſſet. Nocte proxima naues optato vento gauiſæ, confitentibus nautis, miraculo *Xaueriano* ſe fuiſſe adiutos.

Eodem die contigit, quod in Commentario narrat *P. Marcellus*, in hunc modum: *Supplicatione finita, recepi me in conclaue Prætoris, rogauique demiſſe, dare vellet vni Nobiliũ, qui aſtabant,*

*astabant, librum Epistolarum* S. Francisci Xauerij, *qui fortè fortunâ illum apperiens notaret paginam, quæ primùm occurreret, è cuius lectione aliquid cognosceremus de nostræ nauigationis euentu; eo planè modo, quo in libro* Thomæ à Kempis de Imitatione Christi *fieri solet in mœroribus animi. Mirabile dictu; bis experimentum cepimus, bis inuenimus, quod ad literam nobis euenit.* Prima *sortitione indicatum est naues* Cochinum *venturas*: secundâ, *aliquos* Patrum, *qui cum illis veherentur, proximo anno mittendos in* Iaponiam: *ex quo certi fuimus hoc anno easdem naues venturas in* Indiam. Verba, quæ primùm prouenerunt, hæc erant: *Post aliquos labores venietis in Indiam.* Et mox: *Ne despondentis animum, quia citò nos Goæ videbimus.* Vltima; *Cochini vos expecto.* Quæ omnia sic euenerunt, vt infrà patebit.

Atque ex eo libro, aiebat *P. Marcellus*, capere se responsa de futuris, præter illa, quæ diuinitùs ei nota fiebant; certúsq; erat, Deum vti hoc modo, suam ipsis voluntatem manifestandi; quo proinde magna cum pietate, neque sine instinctu Diuino vti solebat. Quo tamen loco animaduertas licet, hoc à *P. Marcello* non factum esse ad exemplum, quærendi de rebus futuris, coniecturâ incertâ, vel diuinandi sortibus superstitiosis, voluptatis captandæ, aut curiositatis explendæ; quia non

omnia;

omnia, quæ viri sancti fecerunt, imitatione sunt exprimenda.

Cæterùm ventus ille nautis optatus, quem beneficio *S. Xauerij* datum crediderunt, diuturnus non fuit; quia necessarium erat, vt noua consilia nauigationis inirent, quando grauissimè errauerant, & maximè temerariam rationem elegerant. Quamuis enim Gubernator Prætoriæ pristina dubitatione vteretur, & scrupulo, qui tamen erant in altera naui, malè securi pergebant; etenim neglectis monitis tutiora spectantibus, quàm erant eorum obseruationes incertæ (quas nauticum genus pro oraculis habet) *die 26.* mensis eiusdem instaurato vento sese præcipitarunt in fallacissimum iter, quod ipsi pro tam felici ac securo habebant, vt Gubernator *die 30.* dixerit nocte illa naues iam præterijsse *Orientalem oram insulæ S. Laurentij.* Citò autem manè diei *trigesimi, primi,* vidit se turpiter esse deceptum, sensítque naues tantùm duas leucas distare à loco, in quo absque *S. Xauerio* fuisset (cui in hac nauigatione venti & mare parebant) certissimum erat naufragium. Nam horâ quartâ post auroram posuerunt venti, & in ea repentina malacia, ab orientali & occiduo latere nauis, densissima ingruens nebula, longè alterius oræ faciem præbuit. Vectores conspicati, nouis se comprehensos angustijs, & suspicati fines aliquos arte sua minimè agnoscendos

antè

antè, quàm nebula dissiparetur, pudore metuque confusi tandem agnouerunt, se in errore haud leui versari: ac demum animaduerterunt cursum, quo extra *insulam S. Laurentij* se ferri crediderant, intra eiusdem latus occidentale torqueri, ineuitabili naufragio; à quo *S. Xauerij* tutela ipsos, sicut ab alijs quoque periculis liberauit viæ tam prauæ, quam erant secuti siquidem non pauciora neque leuiora, offerebantur in eo, vt alio flexu naues in rectam viam reducerent.

Recens memoria periculorum, quæ nauigatione tam intricata subierant, ac terror præsentis loci, in quem erant illapsi, timorem inferebat naufragij: sed fiducia in *S. Francisco Xauerio*, & præsentia *P. Marcelli* sic omnes erigebant, vt menimè dubitarent, non sine altiore causa naues in eiusmodi fortuna versari, quam humana prudentia parùm felicem putaret. Cúmque animaduerteret *P. Marcellus*, omnes aliquid latentis causæ, & beneficij singularis â *S. Francisco* præbiti, in hoc tam perturbatæ nauigationis modo sentire, sæpius per eos dies consuluit eius *Epistolas*, sempérq; argumenta inuênit exitûs fortunati, etsi nonnullæ sortes præmonerent laborum, quos artificio dæmonum essent habituri; nonnullæ quoque hortarentur ad gratias agendas Deo, pro bonis impensis nauibus suis. Postea quoque cognitum est, quinque *Hollandicas* naues,

eodem

eodem tempore, in altitudine *Mozambici* cōſtitiſſe, vt inſidiarentur nauibus eo anno *Goam* tendentibus, à quibus per iſtas ambages, Deo ſingulariter prouidente, ſeruati ſunt.

Poſt hos mœrores proſpero vento ſunt vſi per inſulæ viam internam, & *vndecimo die Septembris* ád decimum ſextum gradum altitudinis Auſtralis perlati, ſequenti ad duodecimum, vigeſimo ſeptimo iterum lineam æquinoctialem tranſgreſſi, verſùs polū ſeptentrionalem. Hîc denuo ventus deficere, denuo nauibus cura & mœror inijci: cùm viſum eſt non vltra differre feſta ſolennia, quæ *S. Xauerio* vouerant. Initium *trigeſimo die ſeptembris* à ſodalibus *Pacti ſpiritualis* factum communione, in qua ſeptingenti ſunt numerati. Nocte ſequente ventus optatiſſimus fuit, non tamē vlterius, quàm donec altero die concio, & ſacra ſancta peracta ſunt. Quæ res aliquibus materiam calumniæ præbuit, vt vel *S. Xauerij* potentiæ, vel eius clientis *Marcelli* exiſtimationi detractum irent. Atque vt malis, ex malacia iſta gliſcentibus, à Deo remedia impetrarentur, *Patres Auguſtiniani* ſupplicationem inſtituerunt admodum religioſam, flagellis ab ſe noxarum pænas ſumentium, concione adiuncta. Altera die *Patres Franciſcani* plurima pietatis exercitatione *S. Antonium de Padua* conciliare conati.

Verùm vt iſta cunque pia ſanctáq; forent,

non

non tamen per illa naues iuuare placuit Deo. Fuit ergo recurrendum ad patrocinia *S. Xaueriȷ*, ipso Prætore iudicante, non alia de causa nauibus id mali accidisse, quàm quod aliquorum lingua, malè sita, sumpsisset sibi modum ventorum præscribere Deo, qui ad maiorem honorem *Sancti*, quem eius nauigationis *Præsidem* ipsis dederat, irrogaret eã venti cessationem ac pœnam. Quare *P. Marcellus octauo die Octobris* è sacello prætoriano; pedibus nudis, cum fune in collo, capite cinere sparso processit, ligneámque crucem, efformatis in ea *stigmatibus Domini nostri* præferens, agmen supplicantium duxit, qui tam lacrymabili voce *Litanias Sanctorum* cantabant, quàm exprimebat præsens necessitas, ad flectendos superûm animos.

Finita supplicatione *P. Marcellus* eodem lugubri cultu, quo processerat, concionem habuit, ità de more feruentem, vt omnium audientium pectora soluta sint in pios gemitus, in vberes lacrymas oculi: ac mox *Imaginem Xauerianam* produxit, quam octo diebus inclusam habuerat, quòd minoris æstimari videret à nonnullis eius tutelam: exhibuit etiam *sacrum sudarium*, accensis intimo sensu verbis, æterno Patri cruciatus & labores vnigeniti sui, per manus *S. Francisci Xaueriȷ* offerens, ad impetrandum auxilium nauibus, in ea calamitate constitutis. Adiecit in fine, sequenti die

initium

initium futurum nouendialium feriarum, celebrandarum in honorem *S. Xauerij*, inuitando ſimul ad eius laudes quotidie vnum Ordinem cæleſtium ſpirituum, & alium inſuper diem proprium attribuendo ſanctiſſimo Diuinorum Agminum Duci, *Michaëli Archangelo*, quem ſanctus *Indiarum Apoſtolus* in viuis plurimùm coluit; *vndecimo demum die* ſolemnia iſta claudenda eodem ritu, quo incepiſſent. His dictis cantu Pſalmi quinquageſimi, cùm acri flagellatione finiuit. Die ſequenti mirificam *Imaginem S. Xauerij* in lignea cruce, cum qua pridie proceſſerat, erexit, pari ſpiritu concionatus eſt, pares lacrymas prouocauit: ſupplicatio pari modo, ſed maiore flagellantium numero ducta; atque ad huius diei formam decem ſequentes celebrati ſunt.

Multa omninò & ſingularia bona, & emolumenta animorum fuerunt, quæ his *vndecim, duodecímue diebus* retulerunt vectores, ac Deus per malaciam illam dare conſtituit, vt mitigarentur animi illorum, qui Diuinis aſpirationibus per monita, & exempla *P. Marcelli* conciliatis, reluctabantur. Multi veniam inimicis dedêre, vitâ omni per pœnitentiam recenſitâ: multi reſtituêre per fænerationem & iniuriam parta, ad *P. Marcellum* ea deferentes, vt ſuis dominis redderet: ſynaxis & aliæ exercitationes pietatis feruere multa frequentia. Nec potuit ferijs tam ſanctè celebratis

non fauere *S. Xauerius*; quare ab initio statim earum, vento tam secundo, fortique remuneratus est illos, vt etiam per quascunque difficultates, naues ad *Insulas Maldiuas* deportâsset, nisi *Gubernator*, nouo errore priores accumulans, maluisset aliò deflectere.

## Capvt XIII.

### *Dæmon P. Marcellum in sua nauigatione infestat.*

a. FErre non poterat Acheron bella, quæ illi seruus Dei mouebat, tot animorum conuersiones efficiendo, præsertim ferijs illis, quæ tanto studio, tot expiationibus, in honorem *S. Francisci Xauerij* celebrabantur. Nihil ergo prætermisit industriæ sathanas, vt eius pios conatus obtunderet. Ipse *P. Marcellus* de crebris insidijs illius memorat, quas tota nauigatione struebat, veluti de alio loquens: *Tam solicitè curabat inimicus exequi, quod, in præcipua quadam ciuitate Italiæ, cùm à quodam* Patre, *socio nostro, compelleretur missam facere nobilem fœminam, quam pluribus annis nefarius carnifex ac tortor insederat, cum rabie minatus est,* inquiens: Iam quidem nihil facere possum, sed in via videbimus. *Verùm* Deus, & noster sanctus tutor, *ipsomet confitente, mille machinas, quas intendebat, disiecit, vti omnes in vnius tibiæ contusionem abirent.*

Permi-

Permisit hoc Deus, ac Dominus noster diabolo, vt cùm animæ *P. Marcelli* ac spiritui nocere non posset, propter vberem gratiam, quę ipsi affluebat è cælo; aggrederetur corpus ipsius in vsum patientiæ, & augmentum fortitudinis, quæ ad imminentia tormenta *Iaponiæ* necessaria erat. Quam rationem sæpe Deus cum excellentibus suis seruis est secutus, vt eos meritis & virtutibus cumularet, cùm inimicus, desperatâ per dolos victoriâ, corpus eorum adortus est, quasi corpora luctâ, & paribus armis experiens: nam quascunque fraudes in molestiam *P. Marcelli* proferret, per parùm tamen efficiebat, & potiùs capite fracto recedere cogebatur, cum pudore cladem reportans, Victore seruo Dei; vt per iocum dicere soleret Prætor, *Magnâ profectò diligentiâ vtitur inimicus; omnibus occasionibus imminet.* Quod in ea ipsa tibiæ læsione, de qua meminit *P. Marcellus*, apparuit, cùm ad contestandam suam infirmitatem, intulit eam dormienti: de qua re iam dicere instituo.

Pergraue accidit *P. Marcello* Præfectum fuisse expeditioni huic *Indicæ*; de quo non potuit non sæpius queri in colloquio cum studiosissimo sui *Antonio Telles de Silua.* Querebatur autem non propter difficultatem regendi viros illos Apostolicos, quos secum ducebat in Regiones remotas à patria, cognatis, & amicis, ad quærendas ibi non diuitias, sed

inopiam & labores; non delicias, sed cruces & mortem; non honores ac dignitates, sed ignominias & irrisiones; quæ ipsos inter Barbaros ex Euangelij prædicatione, dubio procul manebant. Omnes animis accensis erant, nullus vt expers vellet esse laboris vllius aut molestiæ, sed quidquid vnus aggrediebatur, omnes alij certatim susciperent. Quare vt multò facillima iucundissimáque cohortis istius gubernatio erat: vnus *Marcellus* ità delicati spiritûs fuit, vt inueniret probabiles causas de illa querendi, quas & iustissimas ipse ducebat.

*Non amplius Superior*, inquiebat, *Domine Prætor, non amplius. Ecce enim, quoties* ieiunare *instituo, subditorum nemo cibum admittit; quoties* flagellum *sumo in manus, arripiunt omnes, noctu verò quoties* in tabulam *me abijcio, nullus eorum incubat strato; si quando* confitentibus *operam do, nullus è Sacro tribunali se mouet. Deniq; nihil assumo, vel voluntariæ pœnæ, vel laboris, vbi ab illorum ardore non superer. Et eorum tamen multi pares his rebus vires non habent, sed sua quisq; laborant valetudine; fitq; hac ratione, vt de spiritûs exercitatione remittere cogar, ne, dum omnes paria facere volunt, aut infirmioribus morbi causa sim, aut robustioribus ignauiæ, cùm meum sit omnes æquè conseruare.* Tales fuerunt Serui Dei querelæ, quibus tamen ipse excogitauit remedium; sed quod idoneum diabolo

visum

visum est, ad ipsum odio suo vexandum.

Statuit *socijs* conclaue totum relinquere, séque recipere in vicinum quoddam cubile, vt habitare possent illi commodiùs, ipse verò liberiùs ardoris sui habenas effundere; nauísque necessitatibus occurrentibus subuenire. Cùm autem *Prætor* animaduertisset, quàm incommodum lectum *P. Marcellus* haberet, diu cum eo contendit, vt commodiorem, qualis ipsi necessarius erat, admitteret. Nihil tamen amplius effecit, quàm vt spondam acciperet, quali cubant infimi nauticæ plebis, ad ministeria velorum conducti, in aëre pensiles. Quē lectum quia *P. Marcellus* nesciebat aptare, negotium *Prætor* nauiculario dedit, vt pro existimatione & reuerentia serui Dei, quàm diligentissimè securissiméque curaret suspendi. Vtcunque is mandata studiosè curârit, manè tamen funiculi, quantumuis fortes ac duplicati, benéque illigati fuissent, à dæmone scissi, & *P. Marcellus* cum *tibia læsa*, multóque sanguine fuso repertus est.

Prima fuit hæc significatio; quàm indignè diabolus ardorem Patris acciperet, qui etiam nonnunquam fœdo grunitu illius exercitia pietatis obturbabat; modò sibilo serpentino, stridoribus, & alijs vocibus improbus territabat vectores, cùm pœnitentiæ precibúsque, instigante *P. Marcello*, vacarent. Multa, quoque machinatus est, perturbandis illorum ani-

mis,impediendísque bonis, quæ naues, interuentu *S. Francisci Xauerij* sperabant: id quod minimè fugiebat *P. Marcellum* Quare *octauo die Octobris*, quo *nouena* festa *sui Sancti* indixit, sacerdotali stola sumpta, libróque Carminum diuinorum, inusitato feruore animi, vultúque seuero; cœpit execrationibus, obtestationibúsque sacris vrgere diabolorum, vt ab inquietanda naue facesseret.

Fecit hoc eo modo Dei seruus, vt multos metu, non parùm mentibus eorum profuturo, percelleret: statímque non frustra eum fuisse compertum est, aliquibus confessionem facientibus noxarum nondum patefactarum. Etenim è rei tormentariæ præfectis vnus, qui eminus concioni adstabat, percipiente ipsum timore Dei, quasi extra se raptus, accedens procubuit ante pedes concionantis *P. Marcelli*, voce præualida, sed tremente per metum, lachrymísque & singultu plurimo, vociferabatur: *Pater, confessionem, ita Deus te amet: quinq; annis non sum confessus*. Blandè solatus illum seruus Dei, petiuit à concione, vt pro ipso *quinquies Orationem Dominicam, & Angelicam Salutationem* orarent, confessione in horam quietiorem dilata. Consueuerat autem, cùm per festum illud *nouendium* placamina flagellationum auspicarentur, cōmendare omnes, qui fortè peccata confessi non essent.

Iuuenis quispiam, *Laurentius de Sousa*, qui

*Goæ* in *Societatem IESV* receptus eſt, nocte quadam decumbens, manè *P. Marcello* indicare ſtatuerat hominem, qui confeſſus non eſſet. Paucas horas iſta mente dormierat, cùm inuaſit eum dirus horror ſtygiæ laruæ, quæ pectori eius inſidens, omnia ipſi oſſa comminuere videbatur, diſtinctáque voce comminabatur: *ſi tu manè indicium faxis P. Marcello, quod ille ſua peccata nondum confeſſione diluerit, ne ego multis plagis probè oneratum te dabo.* Alter iuuenis, contubernalis illius, cùm gementem audijſſet, ægréque trahentem animam, ratus eum mori, continuò aduocat *P. Marcellum*. Mox adeſt cum *Xauerianis reliquijs*, bono animo eſſe iubet, abſtergit metum, offuſum aſpectu teterrimi *Mauri*, qui ſe per cubiculi feneſtram proripuit, cùm ſocius *P. Marcellum* vocauit.

Poſtridie patefecit *Laurentius* incurium illum, *& decimo quarto Octobris*, qui *Dominicus* erat, vnà cùm eo ſe pane diuino refecit, vt ſe contra diaboli minas armaret. Et verò funeſtus eodem die veſpertinus adfuit, cùm tempus diſciplinæ inſtaret, ſtrepitu viſúque turbaturus opus tam pium. At P. Marcellus ære, quod ad iſta dicârat, ſonante, diabolum vt à naui vexanda deſiſtat, execratus eſt voce tam formidabili, vt non illi ſolùm, in quem ea fulmina torquebantur, ſed etiam alijs metum incuſſerit. Flagellatione finita, Pater ſtrepi-

tum audiuit validi colaphi, ori alicuius impacti, qui præ rabie se indè auferret, quòd non sineretur, vbi vellet, consistere. Neque alio modo tum quidem ille prodidit suum dolorem; etsi aliàs non rarò multa vociferaretur in *P. Marcellum & socios*, per tot pietatis exercitia tantam sibi vim inferentes, dum, omnes ad curam salutis, & obsequia diuina pelliciunt.

Dissimulauit seruus Dei quod audiuerat, ne alios terror nouus inuaderet, séque contulit ad nonnullorum confessiones excipiendas, cùm per nauem audiri voces admodum lamentabiles, iteratò inuocantes *IESVM*, *S. Franciscum Xauerium*, & *P. Marcellum*. Accurrit hic mox cum *S. Xauerij Reliquijs*, animat *Laurentium* iuuenem, quem solo afflictum & sensu destitutum inuenit, & absque mora ad alios, quos clamor ille terruerat, consolandos recessit. Causa clamoris *Laurentio* fuerat, quòd sub finem disciplinæ, cacodæmon admodum horrendâ formâ, illum super arca quadam *Rosarij* orandi causâ, sedentem, inuaserit, guttureque prehensum afflixerit humi, simúlque in mare se receperit, atque is nomen *P. Marcelli* inclamauit, fœtore tam tetro ac pestilente afflatum relinquens, vt eo maximè cruciatum se diceret.

Nihilominus minimè defuerunt in naue, qui perperam de seruo Dei sentirent, carperent

rent

rent eius feruorem, & adeò pro venefico haberent, cui tantum esset cum Orco negotij At si ipsum Dominum IESVM à dæmone infessum iudicarunt homines excœcati inuidiâ, non est multum, si seruus eius pro amico dæmonum, & impostore sit habitus ab ijs, qui per animi perturbationes arbitrati sunt actiones eius, quas admirari oportuit. Nec mirum, si languidi abhorreant ab ardentibus & incitatis, ea damnantes, quæ imitari non libet, imminuentésque virtutem alienam, ne sua vitia fortè redarguat.

Inter alios vir doctrinâ vitæque professione insignis, fortasse tamen bono, certè non exiguo, zelo non alienum à sua persona putauit, pronunciare omnia, quæ de sathanæ infestationibus Dei seruus dicebat, esse mera delicia & figmenta ipsius, ad pueros terrendos commenta, minimè verò credenda prudentibus. Quare etiam nocte quadam, qua dicebatur dæmon disciplinas turbare consuêsse, abdidit se sub tectum nauis, cum diligentia obseruaturus, vnde nasceretur ea turbatio; multúmque sibi gratulabatur, quòd inuenisset modum detegendæ fallaciæ: & hoc ipsum fecit aliquot diebus, vt studiosos *P. Marcelli* liberaret errore.

Verùm ipsemet errorem deposuit, vbi maxima cum consternatione ac trepidatione sua conspexit, quæ fiebant; neque parùm formi-

dauit, ne difficilis sibi venia foret à Deo, quòd de sanctitate *P Marcelli* tam indignè sensisset. Vnde postea *Goa* cum iure iurando affirmauit, totóque terrarum orbe, si necessarium esset, attestari se paratum ostendit, quod *P. Marcellus* verissimè diabolos refrænârit, & exturbârit, non tantùm ex animis hominum sibi deuotorum, sed etiam cœlo, maríque; nullam ei sedem concedens, quocunque intulisset signa sui feruoris. Multis etiam alijs in rebus Dominus noster ostendit per ferias illas, & *S. Franciscum Xauerium* posse multùm in cœlo, & clientem eius *Marcellum* gratam sibi seruitutem seruire in terra.

Neque parùm amabile fuit illud, quod iam narrabo. *Decimo quinto Octobris*, septimo feriarum illarum *Xauerianarum*, pusio, inter octauum & nonum annum ætatis, è naue prætoria decidit in mare. Et quia nauis celeriter progrediebatur, ipse verò parùm roboris habebat ad luctandum cum vi vndarum, omnem spem suam in ope *S. Francisci Xauerij* posuit, nullius alterius rei memoriâ animum subeunte. Adfuit *Sanctus*, & siue celeritatem nauis frangendo, siue promouendo puerum contra fluctus, ad eum locum admouit, vnde posset apprehendere orcam à *P. Marcello* demissam, nihil aliud loquens, nisi *Francisce, mi Sancte Francisce*; Attractus in nauem nihil prius habuit, quàm vt erat aquâ fluens, ad sacellum cursu

con-

contendere, ibique procidens ante *Imaginem Sancti*, manantibus gaudio lacrymis per ipsius, & omnium præsentium ora, dicere, *O mi Sancte Francisce, tu inopis mei pueri memor fuisti; tibi debeo meam vitam, tibi acceptam fero.*

a. *Ex eadem historia P. Staffort.*

---

## Capvt XIV.

### *Seruus Dei Marcellus Goam appellit.*

Finitis *decimo nono Octobris* festis *Xaueria-nis*, ventus secundus, quem diximus, ita vela implebat, nullus vt locus dubitandi superesset, amarâ pœnitentiâ, effusis lacrymis, & illa præstantium virtutum, per eos dies exercitarum, contentione impetratum fuisse. Verùm sub octauo gradu latitudinis Borealis grauis iterum illos mœror inuasit, vento sic deficiente, vt ad tangendum *Cocinum*, ex quo secura deinceps nauigatio erat, altero tanto validior opus esset. Magna hîc omnibus iniecta cura est, nescientibus quò se verterent nauiculatoribus; donec *vigesimo tertio* die coorti *Euri*, maximè illis contrarij, compulerunt *Socotoram* cursum intendere, insulam vltra leucas trecentas distantem, itinere pænè cœco, & obiecto perniciosis caloribus *oræ Arabicæ*, in quo necessarium erat niti contra vim rapidissimorum fluminum, à *Mecchâ* prouenientium, atque ipsos dies vi-

gin i

*ginti* impendere; cùm aqua non sufficeret ad *octiduum*, solo cyatho vnicuique admenso.

Morbi, qui multi contagiosíque in nauem incesserant, non leuandi, sed exasperandi, multiplicandíque timebantur in aura grauissima viæ tam longæ. Auxilium his omnibus attulit seruus Dei *Marcellus*, qui pro impetrando meliore vento, omnem ætatem innocentem colligens, armánsque flagellis in sua corpuscula, supplicatione duxit ad aram, in qua exposita erat mirifica *Imago S. Xauerij*, cum eiusdem *Reliquijs*. Oratio, quâ illum vocauit auxilio, erat hæc ferè: Cùm perspecta sit vtriusq; nauis in eius pietatem fiducia, nunc eius honorem in eo discrimine illarum versari. Consideret, quis in toto mundo sermo sit futurus de *Apostolo Indiæ*, de *Thaumaturgo Orientis*, de vero domitore *Oceani*, si dissimulârit succurrere sibi tam deuotis, consecratísque clientulis in tanta miseria: conuertat oculos in sanguinem innocentem, audiat lamentabiles voces pueritiæ, aliquando testificaturæ eius potentiam. Cætera, quibus petitionem suam prosequebatur *Pater*, lacrymæ puerorum & aliorum, qui adstabant, ac singultus interrupêre, vt antè, quàm obirent, quod reliquum erat supplicationi, bene illis precatus, quòd nox iam procedebat, ad quietem capiendam dimitteret.

Proximo manè successit ventus desideratissimus,

ſimus, quem omnes puerorum precibus adſcripsêre, Eo vento potitæ, pluuiíſque miraculo miſſis è cælo recreatæ naues, *octauo Nouembris* die, decimumgradum latitudinis Borealis attigerunt; *decimo quarto Indiam* conſpicatæ, *vigeſimo ſecundo* portũ *Cocinenſem* ſubiêrunt. Noluit hîc *P. Marcellus* exſcenſionem facere, donec *Præpoſitus* ei *Prouinciæ* ſignificauit, placere ſibi, vt ad vnum diem deſcendat, ad recreandos præſentiâ ſuâ *Patres*, eo loci degentes. *Superior Cocinenſis* nouâ hoſpites tunicâ donauit, vt ſqualidas tam diuturna profectione veteres deponerent: ſed nullis modis paſſus eſt induci ſe Dei ſeruus *Marcellus* ad nouam ſumendam; quia ſemper quærebat pro ſe, quod deterius, vilius, & pauperius eſſet. Atque hinc etiam cùm ei tibialia *Cocini* deficerent, maluit nudis pedibus incedere, quàm indui nouis.

Ex ea ciuitate duæ naues de ſuo appulſu *Goam* nunciauêre, *die ſecundo Decembris*, qui ſacer eſt *glorioſo S. Xauerio*; quo completum eſt vaticinium nobilis viri, *Sancto* eidem addictiſſimi, qui certâ fiduciâ plenus ſæpius aſſeuerauerat conſtanter, etiamſi menſes, quibus ex *Luſitania* naues expectari ſolent, iam præterierint, fore tamen, vt *S. Franciſcus Xauerius* illas eodem anno *Goam* adducat: ſique non eo ipſo feſto nuncium apportaretur de illarum aduentu in *Indiam*, non abnuere ſe lapidibus

agi per vrbis plateas. Subſtiterunt verò naues *Cocini*, quamdiu infirmorum quorundam neceſſitas id exigebat; poſtea proſecutæ ſuum iter in portum *Goanum* inuectæ ſunt, horâ quartâ veſpertinâ, die *octauo Decembris*, qui illibatæ *Conceptioni Deiparæ* ſacer, & profeſtus erat *Octauæ* prodigioſi ſui propugnatoris, & Patroni *S. Franciſci Xauerij*.

## CAPVT XV.

### *Quomodo P. Marcellus Goæ fuerit exceptus; & ibi quid egerit.*

VErbis exprimere, neque facile, neque neceſſarium eſt, quanta hilaritate, charitateq; à *Patribus Goanis* exceptus fuerit *P. Marcellus* cum ſociâ manu. ſed ipſe animum in alijs delicijs defixum habebat, vt neque præteritas ærumnas, neque præſentes oblectationes ſentiret. Quare mentionem faciens de officijs & ſolicitudine, quâ *Patres* vtebantur ea die, cùm naues appulſæ ſunt *Goam*, vt à tanto itinere venientes benignè exciperent atque reficerent, ad *Reginam noſtram* ſic ſcripſit. *Equidem ex laborioſo itinere non alia re magis recreatus ſum; quàm quòd nunciatum eſt mihi; menſe* Aprili *ſequentis* anni *me mittendum eſſe in tantoperè deſideratam* Iaponiam. *Maieſtati Veſtræ non dicam dolo., nihil omnium poſſe gratius mihi contingere, quàm ſi hac ipſa die phaſelum habe-*

*rem, quo continuò deportarer in id Regnum: neque plus temporis concedi mihi vellem, quàm ad beatam tumbam* Sancti mei *visendam necessarium: eo facto quamprimum conscensurus, omnium laborum exhaustorum obliuione inducta. Interea me solatur ipsa propinquitas itineris, cuius desiderium animo meo multis annis insedit.*

Ac postea cùm descripsisset ea, quæ in *S. Pauli Collegio Societatis IESV Goæ*, ad hospites recreandos fuerint acta, subiungit: *Cum omnia verbis explicare non possim, tantùm dico, vnicum diem sufficisse ad obliuionem omnium ærumnarum nauigationis tam longæ & molestæ. Non possum verò continere lacrymas præ gaudio, quando cogito, quàm longè diuerso modo sim excipiendus in* Iaponia, *& quo animo futurus tunc sim. Lætitia temporis illius nullis verbis poterit exprimi.*

His talibus cogitationibus *Goæ P. Marcellus* abstergebat, non fatigationem nauigationis peractæ, sed dilationem peragendæ; in qua sperabat occasionem multo maiorum laborum. Et sicut maior hominum lætitia fuit ex appulsione ipsius in *Indiam*, quàm vt fateretur eam verbis posse describi; sic ex eadem in cœlo non minus gaudium extitisse compertum est. Ipsius verba subijciam. *Cogitarunt*, inquit, *nonnulli nauibus appulsis finem fore mirabilium, quibus gauisæ fuerant in mari, sed ostenderunt se parùm intelligere, qui administrari soleant*

*thesau-*

*thesauri misericordiæ Dei, quorum portæ non facilè clauduntur, cùm Deus, fauendo seruis suis, claues eorum tradiderit* Magno Apostolo Orientis, S. Francisco Xauerio. *Et sic Deus dum admirandis illis, quæ in mari patrauit, alia in terra apposuit, scilicet docere voluit, quantum gaudij ortum esset in cœlo, ex aduentu tot operarum Apostolicarum.*

*Primum illorum accidit* Meliapore *in recessu montis, in quo* S. Thomas Apostolus *supremum diem obiuit. Ibi crux est è lapide glauco, quam ipse* S. Thomas *olim erexit. Ea quotannis festo eius die* sudauit, *donec vela* Hollandica *mare* Indicum *vidit. At hoc anno 1635. die* decimo octauo Decembris, *decimo pòst quàm nos* Goam *peruenimus, denuò tam largo* sudore *manauit perpetuis 24. horis, in totius ciuitatis conspectu, magnus vt numerus linamentorum, aliorúmque pannorum detergendo non esset.* P. Prouincialis Societatis IESV *per tractum* Coccinensem *in suis ad* P. Prouincialem Goanum *notauit,* sudorem *hoc anno non incepisse à capite* crucis, *quod experientia docuit rerum tristium omen esse; sed à pedibus, quo læta prosperáque significantur. Vtinam sit* Hollandorum *expulsio ex* India, *itérque nobis expeditum ad optatam* Iaponiam. *Dicebam anno superiore Vestræ Maiestati, ac Domino nostro Regi (quem Deus conseruet) videri mihi meum* gloriosum Patrem, S. Franciscum Xauerium, *qui* Neapoli *mihi in habitu peregrini*

*apparuit,*

*apparuit, vt me cum* ſocijs *euocaret in* Indiam, *diuinitùs conſtitutum eſſe cuſtodem horum regnorum Orientalium, ſicut Occidentalium eſt alter* Apoſtolus, *etiam peregrinus,* S.Iacobus: *cuius ſatis manifeſtum argumentum habemus, quod* S. Thomas, *primus* Apoſtolus Indiæ *declarauit, quantum ſibi placeat noſter aduentus.*

*Alterum prodigium intra paucos dies in duobus templis* Goanis *euênit, vbi duæ* imagines Saluatoris cruci affixi, *diſtinctis diebus aliquoties aperuerunt oculos, multis hominibus id videntibus, non ſine tenerrimo ſenſu pietatis inde fluente per totam hanc vrbem: quaſi ſi Chriſtus Dominus noſter conſpicere vellet nouos prædicatores* ſancti Euangelij ſui, *& incitare nos benigniſſimo ſuo aſpectu ad deponenda animi noſtri imperfecta, & ſectanda ſancta ſua veſtigia per viam crucis; quemadmodum fecit cum* S. Petro, *vt lacrymans pro ſuis peccatis moreretur in cruce. Sed & ego animaduerti, Crucifixum vtrumq; ſpectare* Iaponiam: *quòd ſi ſuper Chriſtianitatem ita oppreſſam, Deus Dominus noſter hoc tempore mirificè aperiat ſuos oculos hactenus clauſos, videtur indicare, quòd velit nobis dare pignus aperiendarum per nos portarum eiuſdem Chriſtianitatis arctiſſimè obſeratarum.*

*Et verò tum è ſolicita cura de ſalute* Iaponiæ *procuranda per Miſſiones Apoſtolicas, quam demonſtrauit* S. Franciſcus Xauerius, *cùm etiam è ſolatijs dulciſſimis, quæ Deus Dominus noſter præ-*

*buit è cælo 24. illis, qui anno ſuperiore è* Societate IESV, *per crudelem necem, validiſſimè pro ſancta lege ſua deprœliati ſunt, videmur coniectura minimè leui poſſe prouidere, valde propinqua eſſe initia temporum illorum felicium.*

*Frater* Nicolaus Ticunanga noſtræ Societatis *primus fuit, in quem exercuerunt* nouum & *immane genus ſupplicij*, pedibus *eum ſuſpendendo in furca, manibus reuinctis poſt tergum, totóque corpore genuum tenus immittendo in* foſſam *profundam, & vtrinque tabulis opertam, nihil interim præbentes, quo vitam ſuſtentaret. Hoc* ſupplicium *cùm* quatuor diebus *pertuliſſet, carnifices inuenerunt ſanum & alacrem. Rogatus vt in tantis ſupplicijs tamdiu potuerit viuere; reſpondit,* Virginem Dominam noſtram ſibi adſtitiſſe, & inter alia ſolatia, præbuiſſe bibendam aquã allatam è cælo: nullo verò dolore alio tentatum ſe fuiſſe, quàm quod non daretur cernere totam Iaponiam conuerſam ad veram fidem. *Et in dictorum confirmationem mirificè inuentum eſt in foſſa vas plenum aqua. Sed & ipſe conſpectus fuerat per eos* quatuor dies *aliquoties manibus ſolutis in margine foſſæ ſedere. Denique exantlato illo tormento, ad æternas paradiſi delicias, verum nectar & ambroſiam, tranſijt.*

*Alij duo ex eodem numero 24.* Patrum *noſtræ* Societatis, *nono demum die eius ſupplicij viuere deſiere, eodem tempore, ſed locis diſtantibus, prout ipſi carnificibus prædixerant. Cúmque poſtea corpora*

*pora eorum, vt pro more cremarentur, in vnum locum congesta fuissent, collocuta sunt, quasi viuerent, multáque se inuicem salute, & gratulatione de tam beata sorte impertiêre, magno cum stupore præsentium. Quod si gaudium & alacritas moriendi pro Christo redundat in corpus exanime, quis non desideret habere mille vitas, vt omnes in tam lætificam occasionem effundat? Hæc me spes animat, hæc desideria exhilarant, hoc à meo* Sancto *contendo quotidie: cuius sepulchrum nunc plurimùm ornatum est vestimento, quod Vestra Maiestas mihi mandauit offerre.* P. Prouincialis Goanus, *in signum debitæ gratiæ pro tanto dono, mittit Vestræ Maiestati velũ, quo inuolutũ erat* Corpus *eiusdem* Sancti. Hactenus è literis *P. Marcelli.*

Ei, dum *Goæ* moratur, propter conspicuam vitæ sanctitatem, singulari gratia contigit, quòd aliàs grauissimè prohibitum est, aperiri tumbam *S. Francisci Xauerij.* Quod vt obtineret, *Reginam* induxerat, ad vestem Sacerdotalem longè pretiosissimam, inter alia dona regia, mittendam ea lege, vt induerentur sacris membris *Apostoli.* Processit consilium. A Prouinciæ *Præposito*, præsentibus cum *P. Marcello* perpaucis, media nocte apertus est loculus; concessum ei, vt suis ipse manibus sacra membra detegeret. Quod quoniam sensu fecerit, cogitando quis assequatur, nisi qui paria senserit? Cúmque inuenisset sudarium cruentum conuolutum circa sacrum collum,

ſupplex id ſibi donari petijt, & impetrauit, quod cum particulis aliquot Reliquiarum Apoſtoli, maxima cum veneratione habuit, tanquam arma neceſſaria ad confligendum, ſub vexillo eiuſdem mirificæ *Imaginis*, cum hoſtibus infernis in campis orientis extremi. Defixerat ille quidem cor ſuum in pretioſis iſtis pignoribus, quæ ex ſepulchro dilectiſſimi ſui Patris acceperat; & ab eorum potentia ſperabat victoriam tormentorum ſibi paratorum in *Iaponia*: ſed quod animo eius id ſatìs non erat, plus autem exhibere non poterat, ſchedam ſcriptam ſuo ſanguine, educto ex præcordijs, in manu *Sancti* reliquit, in qua *votum* ſuum inſtaurabat; & iurando ſe aſtringebat, exprimendi, quantum valuerit in omnibus, & per omnia ſanctam vitam *Xauerij*, petitione adiecta, morte potiendi, quàm tantopere ipſe optarat in *Iaponia*. Atque ita demum ab illo auulſus eſt, vt ipſum in corde ſuo ſecum auferret. Simúlque curauit augeri eius ornatum, qui nimiùm ei parcus videbatur quamuis tumba eſſet argentea.

Porrò ſi quis deſcriptionem Sancti corporis, vt nunc eſt, forſan deſideret, parabat eam *P. Marcellus*, at lacrymis impeditus perficere non potuit. Igitur ex aliorum *Patrum* literis eam *P. Cinnamus* paucis refert hoc modo; color eſt nigricans, facies oblonga, os maieſtate plenum, capilli ac barba promiſſa non-

nihil,

nihil, & canis inſperſa, oculi aperti, totus inſtar ſpirantis ac viui, caro etiamnum eſt mollis, vt eam reperit Epiſcopus *Cocinenſis*, cùm ſuras eius attingeret. Supinus iacet, cum ſiniſtra admota pectori, in veſtitu Sacerdotali graui precioſiſſimis gemmis. Omnia membra ſpirant odorem cœleſtem, ac tali dulcedine perfundunt aſpicientes, vt vel ob eam ſolam teſte *P. Marcello*, neminem pœnitere poſſit ærumnarum nauigationis *Indicæ*, cui detur beatum hoc ſepulchrum videre.

Per idem tempus, maximus eius amicus, *Generalis Antonius Tellez de Silua*, correptus eſt morbo tam periculoſo, vt iudicaret neceſſarium eſſe, animæ, rerúmque ſuarum negotia ſuprema curare. Huic *P. Marcellus*, maximo ſtudio aderat, memor tot ac tantorum beneficiorum, ac familiaritatis illius; neque tamen audire quidquam de teſtamento volebat, priuſquam anima procurata fuiſſet. Sed cùm ille fortunarum curâ prius liberari cuperet, vt ſe totum diuinis conſecrare poſſet, oſtenderétque moleſtum ſibi fore, niſi id impetraret, ceſſit *Pater*, & officium teſtamentarij ſubijt, quando id euitare non poterat.

Excepit omnia, ſummâ cum fide, quæ infirmus dictabat: præter duo *millia ſcutatorum*, quæ pro noua tumba argenta *S. Franciſci Xauerij* pro vetere erga ipſum pietate, legabat. Obſignatur teſtamentum; nihil eorum, quæ

ratum faciant, intermittitur: procedit morbus, ægrum ratione deturbat, & alia infert, quæ non aliunde, quàm ex contentione testamenti condendi prouenisse creduntur; incusatur *P. Marcelli* nimia diligentia, quâ eum euerterit. Sed breuì rediịt valetudo secunda; quod *Pater* sæpius asseuerauerat; de hoc edoctus à Deo, cum quo de omnibus suis rebus agebat. Augebantur iam vires, cùm *Pater* testamentarias tabulas restituit *Antonio*: hic eas iam animi bene compos cùm relegisset, alia omnia, quæ dictârat, diligentissimè scripta inuênit, præter illud legatum *duûm millium*: cuius ne mentio quidem extabat in literis.

Doluit hoc ei, quod maxima in *Sanctum* voluntate ferretur: questúsque cum *P. Marcello* est, de fide parum sincera erga communem patronum, & erga se, perneceßarium suum. Sed is respondit; *Vtcunq; desideret perfici ornamenta sepulchri* sui suauißimi Patris, *nihil tamen imminutum existimasse vel de honore* Sancti, *vel de* Antonij *summa erga* Sanctum *pietate, quando* legatum *illud præteriịt. Nam quod sua manu scriptum vidissent homines parùm studentes* Sancti *honoribus, facilè in suspicionem cupiditatis trahere potuisse. Velle autem diuos honorari sinceris officiis, nullam sapientibus auaritiam, qualia decent pauperes spiritu.*

Hoc tam generoso responso *P. Marcelli* captus *Antonius*, plus etiam superstes ex-

pendit in *Xauerianos* honores, quàm moriturus testamento legarat. Adiecto enim *tertio mille*, creuit arca argentea palmis quatuor, & semisse.

Quamdiu *Goæ* substitit seruus Dei, ducti opinione, quam de eius sanctitate habebant, omnes passim ei sua peccata confiteri volebant: quibus vt operam daret, incredibilem exhausit laborem: à prima aurora vsque ad vesperam nihil ei quietis concedebatur, nisi ad Sacrum faciendum *in ara sepulchri Xaueriani*, quod curabat facere quotidie, quantumuis multi Sacerdotes, & confitentes peccata concurrerent.

a. *Processu Manil. fol. 4.*

---

## CAPVT XVI.

### *Macaum petens Manilam venit.*

APpetierat iam tempus *Goâ* soluendi, *Macaum* versùs, indéque pergendi in optatam *Iaponiam*. Quare Dei seruus *Marcellus* 29. *Aprilis* 1636. cum alijs Patribus Italis è *Societate IESV*, *Balthasare Citadela*, *Antonio Capechio*, *Iosepho Claro*, & *Francisco Cascola*, ascendit nauem *Dominici de Camara*, & *Noronia*, Capitanei Generalis & Gubernatoris *Macai*, qui vela fecit cum socijs alijs nauibus, per quas distributi erant *duodecim Patres Societatis*, qui tendebant in emporium illud, ac promptuarium

 rium

rium expeditionum *Euangelicarum* in regna *Cambaye, Tunquini, Chinæ, Cocincinæ*, & *Iaponiæ*. Quanto desiderio martyrij ferretur *Marcellus*, posteaquam ad *sepulchrum S. Francisci Xauerij vota* sua instaurâuerat, auctis animi flammis, cernere est ex literis, quas diuersis Goâ scripsit ante discessum. *Vigesimo Februarij* 1636. ad *P. Nunum de Acuna* dicit: *Quid petit*, mi Pater, *à misero peccatore, qui extorris ab* Europa *propter sua peccata & vitia, relegatus est in vltimas ac remotissimas mundi plagas, vt accipiat pauxillum feruoris è tanto foco Diuini amoris tot gloriosissimorum Martyrum, discátque ab ipsis* Iaponibus, *quo pacto oporteat Deo seruire? Hæc vera est rei mecum gestæ summa. Quòd si Deo placeat insuper effundere sua dona, & æquè impertiri illis, qui non merentur, iste enimuerò excessus fuerit miserationis Diuinæ.*

*Eadem ratione*, mi Pater, *videtur* gloriosissimus meus Pater & Custos S. Franciscus Xauerius *eligere voluisse hominem nullius profectûs, vt opera sua magis elucerent, & appareret, sua negotia esse, quæ gesta sunt. Supplex itaq; rogo, si quidquam* Sancto *gratificari cupit, beneficia multa, quibus me prosecutus est* Olyssippone, *isto vno consignare velit, vt impetret mihi à Deo suis precibus veram cognitionem status, in quo versor; quàm multum debeam, quàm parùm possim; vt saltem bene illum cognoscens, animum instituam ad excogitandum remedium, & impetrandum à misericordia Dei.* O quàm

*O quàm bonus est Dominus, cui seruimus*, mi Pater! *nam cùm verissima sint, quæ dixi, nihilominus ad incutiendum mihi pudorem, vsq; pergit subdere animo nouos ardores, desideria magis accensa; magis inflammatas cogitationes, curas magis feruentes. Deniq; nescio, vbi sim:* sacrum sepulchrum mei dulcissimi Patris *tenet cor meũ*, Iaponia *idem petit, & obtinet: non sunt in* Iapone *tormenta, quorum desiderio non diffluat, in quibus non reperiat suam quietem: non carnifex, cui non offerat suam animam: non laqueus, ad quem non erigat collum: non catenæ, compedes, càrceres, ærumnæ, cruciamenta, quæ illi sufficiant. Denique corpore sum* Goæ, *corde verò diffissus in tot partes: viderit nunc, quis possit esse status rerum mearum. Isto* Aprili *cum gratia Dei* Macaum *tendemus: confido in magno meo* Sancto, *futurum, vt anno veniente ipsi seruiam in* Iaponia.

In alijs ad Capitaneum Generalem *Antoniũ Tellez* hæc scribit: *Gratia & Pax: IESVS, MARIA, FRANCISCVS* Domine Antoni Tellez de Silua, *fili dilectissime animo meo, comes itineris, & amice sincerissime. Deus mihi mandat, vt ab ipso discedam*: S. Franciscus Xauerius *me in* Iaponiam *vocat. Solum hoc restat, illi vt obediam, idque tanto magis, quòd proficiscar ad maximum sacrificium, ad fundendam animã cum sanguine, & ad Euangelium prædicandum ferendis plagis, si verbis non concedatur. Ego ipsum aufero in pectore, & visceribus meis: ego*

*ipsum comitabor* Olyssipponem *ad obsequia Regis: ego ero cum ipso in patria inter suos cognatos, ipse mecum in carceribus inter carnifices. Ipse intererit omnibus in die mei triumphi: ipse ante alios particeps erit gaudij, & maiorem partem accipiet sanguinis, quem nunc oblatum eo. Placeat ab hoc paupere & obligatissimo seruo suo accipere hoc tributum. Recordetur* Marcelli, *tot à se beneficijs exornati, & tam dilecti quondam, etiam in sua magnificentia. Quando cognouerit, me cruciabili morte defunctum in* Iaponiâ, *dignetur semel* Angelica Salutatione *gratias agere* Sancto, *pro munere, quo suum amicum affecit.*

*Ea noua operam dabo, vt ante alios omnes resciat, singulorum narratione explicata; quod nunc tempus non est. Polliceor, semper me futurum, qui debeo; & in alio Regno completurum, quod in isto non potui; & quacunq; ex parte potuero, satisfacturum suis desiderijs: interea recipiat in partem officij debiti momentum hoc perbreue vitæ, quod mihi dabitur habere pro seruitio Domini nostri, &* mei amantissimi Patris S. Francisci Xauerij: *qui ipsum quoque inuisat in habitu candido cum cruce in pectore, cúmque candela & scipione in manibus, comitante regia sua cohorte, vt assolet:* Gloriosus *hic* Sanctus *ipsum adiuuet, ipsum visat, ipsum tueatur totâ vitâ suâ, in omnibus suis rebus: ei supplico, vt quinquennium pœnarum, vulneris in capite, læsæ tibiæ* &c. *non producatur*

ob

*ob mea peccata, ſed vnà conueniant omnia tormenta carnificum, quæ eſſe poſſunt, vt gaudeam tandem vero bono; ſi quidem cum omnibus gaudium poſſit eſſe maius, quàm ſit hoc, quo nunc affluo. Deus bone, quæ verba ſcripſi? Tacitus hæc retine, vſq; dum nos reuiſamus. Vale millies, vale & ſalue. Vado alacriter, vt ipſe & res ſuæ tendant in optimum finem.* Goæ 16. Martij. 1636.

Alias Domino *Thomæ Maſtrillo* cognato ſuo ſcripſit in hanc ſententiam: *IESVS, MARIA, FRANCISCVS.* Gratia, & pax Chriſti *Hac die, quâ celebramus feſtum* noſtri *glorioſi* ſancti Thomæ de Aquino, *ſcribo Domino meo Goâ, poſt longam & periculoſiſſimam nauigationem octo menſium. Cuius vt nullus alius fructus eſſet, quàm copiâ viſendi* Corpus magni mei Patris, ac defenſoris S. Franciſci Xauerij, *æquiſſimo animo ſuſcipiendæ forent omnes ærumnæ, quas iter eiuſmodi poſſet afferre. Spirat ſanctitatem ac pietatem hoc ſacrum ſepulchrum; habet riuos Diuinæ dulcedinis, & opulentiſſimas venas ſolatiorum cœleſtium.* Veni, & vide. *Hoc* Aprili, *Deo propitio, cum alijs duodecim* ſocijs *Italis* Chinam *verſùs hinc diſcedemus, poſteà ego cum ſex in* Iaponiam, *vbi me anno ſequente futurum ſpero, viuum aut mortuum.*

*Iuſiurandum veriſſimum iuro, non habere me ſolatium aliud, non ſolidam aut maiorem lætitiam in hac vita. O ſi pauxillum eius mittere poſſem in ſcatula, abhorreret mox omnem mentionem*

Nea-

Neapolis, *omnes spes aulæ, omnes designationes & apparatus futurorum*; *& conuolaret ad me. Si venerit, sciat me præstolari vel in cruce, vel in foco, propter amorem Dei. O quonam calamus, vel vt melius dicam, affectus me rapit! meminerit huius serui sui in S. Sacrificijs suis, in quæ me ex corde commendo. Si viderit* D. Marium Mastrillum plurima & *affectionis plena salute à me impertiat.* Goæ 7. Martij. 1636.

Voluit Deus indulgere feruori, diuertens illos *Macao*, vnde vel nunquam, vel tardè omnino in *Iaponiam* potuissent venire: quia præterquam quòd mercatores *Lusitani* nullũ indè asportant secum in *Iaponiam*, qui vxorem non habeat, *Gubernatori Macai* à Prorege *Indiæ* mandatum erat ibi detinere *P. Marcellum*. Quare diuini fuit hoc Numinis, vt *Manilam* deferrentur, vnde facillimus traiectus in *Iaponiam* fuit, singulariter propitio Deo, sicut mox dicemus.

Dum *Pater* esset *Malacæ*, eius Regionis Capitaneus Generalis *Franciscus Cotinius Cabacus* cum *Hollandis* conflixit, sed ita, vt victoria quidem nostra esset, ipsius tamen Capitanei, & multorum fortium virorum morte constaret, qui generosè exposuerant vitam: vulneratis autem repleretur *Nosodochium Malacense*. Eorum iuuandorum curam sibi depoposcit *P. Marcellus*, in quorum obsequijs & ministerio pulcherrima charitatis erga pauperes &

infir-

infirmos facinora edens, imitatione *Xauerianum* exemplum adumbrauit & expressit.

Malacâ soluerunt *Iunio* exeunte, *Macaum* petentes. At cum ad insulam *Palacondoram* venissent, apparuerunt obuiam tres naues *Hollandicæ.* Despondit mox animos classis *Dominici de Camara*; & aliæ quidem naues de *Macaënsi* cursu depulsæ non sunt, sola prætoria, qua Generalis vehebatur, ac Dei seruus cum quatuor *socijs*, viam perdidit, ac *Manilam* venit. Etenim *Hollandi* sic eam presserant, vt iam perdita videretur. *a.*

Insistebat in hoc rerum articulo precibus *Pater*; & cùm nescio quis, omni spe opis humanæ amissa, diceret, hostem sine dubitatione vim facturum, nauésque capturum, quia illi defendendo non essent; alta voce, quam multi audierunt, respondit, *Macte animi, omittite curas; cum fiducia in Deo, & meo* Patre S. Francisco Xauerio, *neq; hanc nauem prætoriam, neq; aliam è nostra classe capiet hostis, aut malo quoquam afficiet.* His dictis, Dei seruus opponit hostibus *Imaginem S. Xauerij*; & continuò prætoria piratarum, signo dato, reliquas suas naues iussit sequi, cúmque iam velut in manibus nostram haberet, aliò vela conuertit, nauibus *Lusitanorum* dimissis. Quod ij quidem omnes miraculo *S. Indiarum Apostoli* tribuerunt, impetrato precibus eius clientis *Marcelli.* Omisso in præsens itinere *Macaënsi,* quò

*ſi*, quò pergebat cætera claſſis, prætoria ad *Inſulas Philippinas* diuertit.

Multùm diſplicuit hic flexus ijs, quorum intererat ocyùs venire *Macaum*; donec claui moderator, etſi locorum eorum non ſatìs peritus, interno quodam inſtinctu eum probauit, ipſemet ignarus, quánam ex cauſa; ipſéque tandem Gubernator ratum habuit, quantumuis multæ cauſæ proferrentur, commeatus defecturus videretur, neque ſatìs nauclero fidendum eſſet per maria ipſi ignota. Nondum intelligebant ſe diuinitùs agi, vt ſeruus Dei ceteriùs attingeret *Iaponiam*, ac paratam ſibi coronam *Martyrij*, quòd non niſi *Manilâ*, Metropoli *Philippinarum*, fieri poterat, tantis impedimentis obſtructâ portâ *Macai*. Nihilominus *P. Marcellus* ne quid ex eo propoſito grauioris oboriretur incommodi, ſtatuit rem Deo Domino noſtro, & *S. Franciſco Xauerio* ſtudioſe commendare per preces: in eam rem ter litauit. Suppoſuerat verò Sacroſanctæ ſindoni (quod Corporale vocamus) inter ſacrificium duas ſchedas, quarum alteri inſcripſerat verba, quibus *Macaum*; alteri, quibus *Manilam* ire iuberentur. Cúmque Sacro finito ſorte poſterior prodijſſet, magno omniũ conſenſu *Manilam* contendêre. Sed non multò pòſt nouum periculum conſpicati, naue largiter aquam accipiente, iam nullam ſpem huius vitæ habebant, ſed de æterna ſolliciti,

lacry-

lacrymabantur, quod se non dedidissent, *Hollandis*, potius existimantes capi, quàm submergi. Hoc autē quòd factum non sit, omnes postea precibus *Marcelli* gratis animis adscripsêre: etenim ope *S. Xauerij*, quem semper facilem in sua vota *P. Marcellus* habebat, non sine miraculo naue ad portum vndecim diebus appulsa, *31. die Iulij, S. Ignatio* sacro, *Manilam* intrauêre.

Antea tamen in via diuinitùs cognouit *P. Marcellus*, quisnam esset ille *eques cum viridi cruce*, quem *Neapoli* viderat, neque tum aliud intellexerat, quàm esse amicum quendam. Nunc autem comperit, quisnam esset ille amicus. *b.* Vnde *P. Iosepho Claro* dixit: *In hac ciuitate*, mi Pater, *veniemus ad equitem cum viridi cruce*. Et postea rursus eidem, & reliquijs socijs apertiùs, *equitem*, qui inter alia sibi per *visum Neapoli* cum *viridi cruce* oblatus est, esse *Dominum Sebastianum Hurtadum de Corquera*, Gubernatorem *Philippinarum*, *Ordinis de Alcantara*: qui amantissimus fuit serui Dei, & multis modis promouit profectionem eius in *Iaponiam*; vt in hac historia videbimus.

a. *Processu Manil. fol. 148.* b. *Epist. P. Iosephi Clari.*

---

## CAPVT XVII.

### *Dei Seruus detinetur in Philippinis.*

*Mani-*

MAnilæ vir Dei breuì detexit magnos thesauros virtutum, quos in lectissima sua anima conditos attulerat: quare *Gubernator* earum Insularum *Sebastianus Hurtadus de Corquera* illum detinuit, vt in expeditione, quam in magnam illam Insulam *Mindanai* parabat, comitem Deo tam charum haberet, confisus eo præsente omnia prosperiora futura. Neq; falsus est animi, sicut præclaram quidem de illo existimationem acceperat ex litteris *Comitis de Corcana*, commodùm sibi allatis, in quibus multa commemorabantur de cælesti in eum fauore, déque excellentibus eius virtutibus; sed vbi suis oculis ipse conspexit viua earum exempla, sanctissimos viri mores ac disciplinam, longè plurimùm ad illam existimationem accessit: ipso adeò primo eius aspectu sic animus illius affectus est suauiter, vt continuò statuerit omnem operam suam conferre ad nauigationem eius *Iaponicam*, simúlque pollicitus fuerit sibi certam ab hoste victoriam, quasi alterum quendam *S. Franciscum Xauerium* nactus, cuius in *P. Marcello* virtutes videbat expressas.

Quocirca mandauit, vt *socijs*, qui cum eo erant, vbi respirassent in *Philippinis*, *Macaum* discedentibus, non sineretur abire *P. Marcellus*. Qua *Gubernatoris* atque etiam *Prouincialis Philippinarum* constanti voluntate, non absq; sensu diuisus est à *socijs*, tantoperè sibi dilectis:

vnum

vnum ſolatium fuit maior è *Philippinis* in *Iaponiam* perueniendi facultas; & quòd cogitaret rurſum eorum amplectendorum copiam fore. *a.* Etenim ſedulò procurârat eis commoditatem perueniendi *Macaum*; cúmque in portu *Cauitano*, quinque leucas *Manilâ* diſtante, eos dimiſſurus eſſet, prompſit *Imaginem S. Xauerij*, quam ſemper conſueuerat ſecum ferre, & velut oraculum conſulere. Interrogauit *ſocios*, qualis videretur eis *Diui imago*, ac reſpondentibus illis, non aliam à ſe conſpici, quàm ſemper antehac vidiſſent; negauit ſibi ſimilem eſſe, ſed oppidò triſtem. *An non videtis?* inquit. cúmque pernegarent, vllum ſe diſcrimen videre, non aliud addidit, quàm fore, vt *Manilæ* ſe reuiſant. Quod etiam contigit, *Patri* per illam ſui oris mœſtitiam ſignificante *S. Franciſco Xauerio* naufragium, quod erant facturi.

Duæ ſimul naues ex eo portu *Macaum* ſolutæ fuerant, eas coorta tempeſtas fera diſiecit. Illa, quæ vehebantur *Patres Societatis*, peruenit in breuia, vt contis nitendum eſſet, quando aliud opis nihil ſupererat, ſuo damno expertis, quantum aliàs iuuiſſet præſentia *P. Marcelli*. Plurimi mortales hîc hauſti ſunt aquis; *Patres* ægrè potuerunt ſaltu littus attingere, vt non ſine magno labore euaderent. Monitus *P. Rector Manilanus* nauigium ſubmiſit, quo in ciuitatem venirent, iterum ſe re-

fecturi. Ibi occurrit eis *P. Marcellus*, cui Deus iam omnem eorum casum manifestârat, quo in periculo *Patres*, quíque submersi fuissent; pro quibus multas preces iam fecerat. Cùm enim nunciatum esset *Manilam* de isto naufragio, quo tam multi perijssent, dixit Fratri cuidam, *Gregorio Bruno*, multos esse iam dies, ex quo Domino nostro inter sacrificandum commendasset animas eorum, qui extincti essent hoc infortunio.

Post aliquot dies iterum *Patres* commiserunt se mari melioribus ventis: valedicturis *P. Marcellus* deosculatus est pedes, ægréque diuulsus ab ijs; quòd omnes vicissim aduoluti eius pedibus oscula cuperent infigere; pulchro humilitatis, seu mauis, celsitudinis Christianæ certamine, tanto flagrantiore inter illos, quanto quisque alterum Deo impensiùs arbitrabatur seruire. Scripsit quoque *Marcellus Macaum* ad Superiorem *Indiæ* & *Iaponiæ* rationem, cur subsisteret in *Philippinis*: quod pariter fecit *Manilæ Gubernator*, omnem operam promittens, vt in *Iaponiam* peruenire posset nō solùm *P. Marcellus*, sed etiam quotquot *è Societate* aduenerant, qui tunc iustis ex causis erant diuisi. Rogabat proinde, vt omnes remitterentur ad se *Macao*, quando indè modus ad *Iaponas* perueniendi non esset. Seriam autem eam petitionem fuisse, literæ *P. Marcelli* perhibent, quas quia multis rebus

lucem

lucem dare possunt, magnóque spiritu scriptę sunt, hîc libet apponere: sic habent.

*Quoniam ea, quæ Dominus* Gubernator *istarum Insularum ad Vam Ram scribit de mea persona, meóque discessu ex hac ciuitate, possunt occasionem offensionis & suspicionis præbere binas mitto ad Ram Vam Alteras scripsi in portu* Cauitano, *quibus me diuersum à meipso exhibeo, dum in isto negotio minimè indulgeo desiderio meo, cuius Ræ Væ rationem mox reddam. Alteras posteriùs exaraui, vt pér occasionem priores ostendi possint, ÿs, qui fortè aliquam nouitatem intentare vellent: hæ posteriores exactissimam notitiam conferent omnium, quæ acta sunt, tanquam meo* Patri *ac* Superiori, *cuius pedibus, vcunq; loco remotus, accido supplex, ac tóto cordis mei affectu rogo, mihi condonare velit, si forsan aliquid peccaui hoc proposito, in quo sanctè affirmo, sicuti debeo tanquam seruus & subditus, nihil aliud me spectasse, quàm* maiorem gloriam nostræ Societatis. *Quare crèdat Ra Va mihi perquam graue accidere, quòd post tam longam, trium ferè annorum, atq; periculosam peregrinationem video me destitui hoc vnico solatio, quod in hac vita capere potui, vt breui aliquo tempore fruerer sancta consuetudine Ræ Væ & aliorum Patrum ac Fratrum istius Collegÿ. Sed necessarium fuit propriæ consolationi posthabere* bonum & solamen commune, *quod ex mea commoratione hoc loci speratur.*

*Cùm igitur hæc sit voluntas Dei, apertè admodum*

*dum declarata mihi per os* gloriosi mei S. Francisci Xauerij, *qui tertio abhinc annò mirificè mihi restituit vitam, prout* R.ª V.ª *poterit cognoscere ex narratione, quam de hoc miraculo mitto; eadémque confirmata sit multis reuelationibus eiusdem* Sancti, *quæ factæ sunt valde insignibus Dei seruis, ante & post miraculum perpetratum; ac demum consignata tam mirifico meo in Insulas istas aduentu, prout ex Capitaneo* Generali Sinarum, *& alijs* R.ª V.ª *acceperit; ideò non remanet locus vlli dubitationi posteaquam* Sanctus *Diuinam voluntatem ità manifestauit, vt dixi, etiam placere illi sic disponere media eius implendæ, vt mihi non videantur esse, vel vnquam esse posse meliora, dum in his angustijs constituta sunt res* Iaponiæ.

Dominus Sebastianus de Corquera, Gubernator *Insularum istarum, è primoribus ministris suæ Regiæ Maiestatis, non tantùm ex amore, quo erga* Societatem *est sanè magno; sed etiã propter literas, quas equidem illi fortuitò & sine consilio attuli* à Domino Comite de Corcana *patruo suo; & alia nonnulla, quæ in hoc improuisò meo aduentu in hanc ciuitatem pensi habet, vt gratus sit* S. Francisco Xauerio, *pro salute sobrinò suo istis diebus eius intercessione donata, simúlque optimè de Christianis in* Iaponia, déque Societate IESV *mereatur, constituit me bono modo, sine omni sumptu illius prouinciæ, & periculo* Macai, *transportare in* Iaponiam. *Et reuera hoc ab eo Domino præsumi potest, cùm quia est vir prudens,*

pius,

*pius, ac zelosus; quemadmodum de ipso perhibere possunt, qui multam eius notitiam & vsum habent: tùm quia ad gubernationem istarum Insularum à Deo electus est, quod ante aliquot annos è cælo innotuit per* Sanctum *quendam* Martyrem Iaponium, *& ipse vaticinij euentus comprobauit.*

Mox addit: *Atq; ista de me: nunc de quatuor* socijs *meis, qui veniunt* Macaum *cùm* Generali Sinarum. *Mi Pater, verissimè dico R^a V^a quòd dimittam eos magno cum sensu, non quia eos vnicè diligo, sed quia certum habeo, Deum hac via eos velle peruenire in* Iaponiam. *Quare propter scrupulum, qui me stimulabat, quòd ex mea parte non concurrerem ad explendam hanc Dei voluntatem multùm perspectam; rem proposui* P. Prouinciali *præsenti, & ei qui fuit, vtriq; viro sanctitatis eximiæ. Dum autem res in consultatione versabatur,* Dominus Gubernator *petiuit à* P. Prouinciali, *vt mentem R^a V^a interpretatus retineret omnes meos* socios, *quia Deus ipsi animum ac desiderium iniecerit, omnes in* Iaponiam *transferendi, sine omni* Macai *& cuiusquam alterius periculo. Quod etiam cupienter & enixè petiuit, addens nunquam se rogasse aut rogaturum ab* Societate, *quod tam sibi cordi sit, neq; desiderasse, quàm istud: quod ei proinde* P. Prouincialis *negare non potuit; atq; ità ex omnium, qui consultabantur, sententiâ, visum est esse agendum.*

*Et hoc fuit vnum è clarioribus indicijs Voluntatis Diuinæ,* Gubernatore *duo quadam affir-*

*mante.* Alterum, *quòd ante noſtrum aduentum conſtitutum ſibi fuerit nulli permittere profectionem in* Iaponiam: *nunc autem pro me &* ſocijs *meis omnem ſumptum, qui neceſſarius erit ad hoc iter, è ſuo facere cupiat.* Alterum, *quòd eo ipſe ingenioſit, nihil vt vnquam impensè cogitare conſueuerit, neq; vnquam ità rogârit: cùm autem de noſtro negotio rogare cœpit, affluebant ei verba cum tanta teneritate & affectione animi ſui, nullum vt finem facere poſſe videretur; neq; deſtiterit, donec impetrauit, quod voluit.*

*Ex quibus liquidò dicere poſſumus, rem hanc diuinitus conſtitutam eſſe, regíque manu* glorioſiſſimi S. Franciſci Xauerij, *qui ſolus potuit eius morem ſententiámque inuertere. Nihilominus vt negotium ſilentio & abſq; ſtrepitu procedat, ſtatui mittere omnes quatuor; ità enim magis diſſimulanter ego hîc manſero, non dando aliquam anſam loquendi & ſuſpicandi ciuibus huius loci, multóque minus alijs* Religioſis, *qui opperiuntur hîc occaſionem noſtro exemplo tranſeundi in* Iaponiam, *dum omnes exiſtimant, me tantùm ſtudio gratificandi* Gubernatori *hoc anno* Manilæ *remanere. Ergo ſine impedimento R. V. poterit remittere, vel ſimul omnes quatuor, aut binos & binos, prout ipſa melius fore cenſuerit, per viam* Camboiæ, *vel* Tunquini, *vel* Cocincinæ, *vnde continuò naues ad Inſulas iſtas feruntur.*

*Hîc igitur expectabo, &* Domini Gubernatoris, *& ipſorum* Patrum *gratiâ, vt eis commodam*

*& ſe-*

*& securam expeditionem exornem. Profectò enim cùm via* Macaënsis *omnino sit inexplicabilis, diuino munere id nobis conceditur, vt reuertantur ad* Manilæ Gubernatorem, *qui tanta voluntate ac studio, suis impensis, desiderat*, Patres Societatis *transuehere in* Iaponiam, *qui antea supplicio capitis edixerat, ne quis vllum virum* Religiosum *eò deportet. Ecquis dubitare possit, hoc esse opus mei* gloriosi Patris, S. Francisci Xauerij, *qui hac via propriæ suæ dilectissimæq; Ecclesiæ cupit succurrere? Vti neq; ego dubito, Ram Vam in occasione tam mirifica, pro sua parte, æquè impensè cooperaturam tantæ gloriæ Dei, quanta in ea versatur; neq; permissuram, vt* Iaponica *Missio*, Societati *tam honorifica, prorsus intercidat.*

*Accederet incredibilis offensa* Domini Gubernatoris, *tanto studio rem istam complexi, támque idoneis rationibus petitionem suam astruentis, si contingeret hos quatuor* socios *mihi non remitti: atque adeò perderemus vnicum amicum nostrum, quem Deus nobis dedit ad succurrendum Christianis, tanta vndiq; necessitate oppressis. Deniq; si fortè Ra Va hæc nondum satis grauia, & firma esse existimet, equidem nihil dubito de voluptate & consolatione* R. P. N. Generalis, *quam est accepturus, si Ra Va non omiserit illos remittere. Etenim ille, si posset, nihil dubitaret* Româ *vsq; in* Iaponiam *contendere; idémque probè scio, sine mora facturam Ram Vam etiam in hac ætate,*

*& officio suo, quo fungitur: quantò minus detinebit hos Patres!*

*Dixi hactenus generalia de omnibus quatuor, quibus confido* meum gloriosissimum Sanctum *potenti suo præsidio singulariter adfuturum de cælo, sicuti varijs suis temporibus liquidò iam experti sunt. Sed ut speciatim aliqua memorem, supplico Rª Vª toto mei cordis affectu, vt mittat mihi duos Patres,* Balthasarem Citadelam, *&* Antonium Campechium, *quos vti* R. P. N. Generalis *adiunxit mihi* Romæ *primos omnium* socios *profectionis* Iaponicæ, *ità videtur primum & indubitatum in ea locum habere debere: & hoc maximè conueniet cum voluntate* Patris nostri, *cui de omnibus nominatim verò de illis duobus,* Dominus Generalis *accuratè perscribet, quos etiam familiariùs nosse desiderat: vt adeò acerbissimum animo sensum ac dolorem sit accepturus, si Rª Vª eos non mittat; contrà verò ostenderit, se arctissimis vinculis obligandum, si veniant, & vnà me quoque perpetuò deuinctum iri contestor hac re, quam iudico euidenter esse voluntatis Diuinæ: idémque omnes isti* Patres *affirmant, qui pariter hoc suo cõsensu Rᵃᵐ Vᵃᵐ de rei veritate edocent, orántque pro illis; vt proinde* Sanctus meus gloriosus *peculiarem eorum rationem habere, & singulari studio adiutos velle videatur, quos ante alios omnes elegit, & eripuit in itinere è multis & magnis periculis vitæ; prout ipsi narrabunt: quare statim eodem puncto temporis, quo mihi occurrerunt, visi*

*fuerunt*

*fuerunt afferre mihi certa pignora, quòd cùm his comitibus benigna eiusdem* Sancti *manu sim protegendus.*

*Neq; sine ratione hoc dico, quia cùm essent è præstantioribus viris* Prouinciæ Romanæ, P. Generalis, & P. Assistens *eos mihi concesserunt in vsus & necessitates* Iaponiæ; *& propterea videtur* S. Xauerius *eos in tutelam suam præsidiúmque suscepisse, quòd rebus omnibus ad hanc* Missionem *egregiè instructi & ornati excellant, quibus Rª Vª possit multum confidere. Præterea illis cum* Sancto *intercedit* Ius *quoddã &* obligatio: *ipsorum enim sumptibus expedita est* Romæ Bulla Canonizationis ipsius, *quæ constitit* mille libris, *quarum partem multesimam isti* Patres *dedêre. Quod vt Rª Vª certò constet, mitto per ipsósmet exemplum eius* Bullæ *authenticum, magis attendens gaudium, quòd eius lectione Rª Vª adibit, & bonum ipsórum* Patrum *quàm meum solatium, dum illâ me priuo.*

*Per amorem* magni Indiarum Apostoli S. Francisci Xauerij, *supplex iterum Rªᵐ Vªᵐ è genibus oro, quàm possum cupidissimè, vt omni, si qua tamen superesse potest, in tantis & tam claris argumentis, difficultate perrupta, minimùm duos nominatos* Patres *mihi remittat. Quod etiam, hac fiducia fretus, futurum scripsi* Romam N. P. Generali, *certiorem faciens magnæ huius gratiæ, qua Deus nobis per intercessionem* sui Sancti, *inter tantas difficultates, hanc viam aperuit: in eundem*

*ſenſum ſcribunt etiam* Superiores *huius loci, &* *nominatim* Dominus Gubernator, *vt antea memini; qui dici non poteſt, quanto deſiderio illos expetat & expectet.*

*Vnde etiam videtur mihi non reſcindere velle commercium cum iſta ciuitate, quemadmodum vi duarum ſuæ Maieſtatis literarum ſtatuerat. Quamquam de Rª Vª ſtudio inflammato & charitate perſuaſum habeo, perfecturam hoc mihi plenum & perpetuum ſolatium, vt altero anno mittat etiam reliquos duos. Curabo enim omnia hîc ità conſtituta relinquere, vt procedant, ſicut oportet; maximè quod attinet ad ſumptus itineris* Iaponici, *quos de ſuo ære ac ſtipendio ſuppeditaturum ſe mihi* Dominus Gubernator, *promiſit, vt* Iaponiæ Prouincia *nec teruntium impendat.*

*Poſſem equidem eoſdem petere ex Regis ærario, quod ſua Maieſtas in gratiſſimi obſequij loco haberet, ſicut ipſa ſuo ore mihi dixit* Matriti. *Sic ergo his quatuor* ſocijs *nihil deeſt amplius, quàm vt Rª Vª bene ipſis precetur, quò ſalui adueniant, maximè duo illi, quos dixi, & in viſceribus gero; quibuſcum & finio. Dignetur Rª Vª mihi quoque indè bene precari, quod ſuppliciter peto, cum omni demiſſione & affectu cordis mei, Deum obteſtans per merita* mei Beati Patris, S. Franciſci Xauerij, *vt ſicut nos propter maiorem gloriam ſuam disiungit in terra, ità nos coniungat ad æternam ſuam laudem in cælo. Manilæ. 12. Octobris 1636.*

a. *Proceſſu Manil. fol. 128.*

CA-

## Caput XVIII.

### *Quis fuerit ſtatus Inſulæ Mindanæ, & quomodo ad P. Marcelli aduentum euerſa fuerit munitio Miſſilium, inhabitata Dæmonibus.*

M*Agnæ Mindanai* occupationem, quam ſuâ præſentiâ & orationibus tantopere promouit Seruus Dei, dum verſaretur in *Philippinis*, ipſe deſcribit. Sed vt meliùs intelligatur ea narratio, & quanti fuerit eam occupari, dicemus priùs, qualis ea ſit *Regio*, quis eius & aliarum Inſularum ei vicinarum fuerit *ſtatus*, cùm ad eas venit vir Dei. *Mindanao* ſeu *Mindana* eſt è maioribus Inſulis, quæ *Philippinæ* vocantur, in Archipelago, ſúntque pœnè innumerabiles; neque errauit, qui dixit, numerum earum accedere ad *vndecim millia*, ſi computentur paruæ & magnæ, deſertæ & cultæ. Neque longè abierit à vero, qui dixerit, *Manilanâ*, quæ reliquarum princeps & caput eſt, *Mindanam* haud eſſe minorem; quando facilè *quadringintas leucas* amplectitur.

*Stephanus Rodericus de Figueroa* fuit vnus è primis & fortioribus *Ducibus*, qui armis obtinuerunt has *Inſulas*. Is ad ſe receperat, ac promiſerat Maieſtati Regis Hiſpaniæ hanc *Inſulam* occupare ſuis impenſis, & *Regiæ Coronæ* ſubigere. Ergo cum poteſtate & nomine

Guber-

*Gubernatoris*, & Capitanei *Generalis*, validum exercitum *Hispanorum quadringentorum* collegit, iunctis *Indorum quatuor millibus*, totúmque in vnam classem *Caracoarum* imposuit. *Caracoæ* sunt naues 150. remorum, quarum in *Philippinis* multus est vsus: nonnunquam 20. vel 30. supra centum remos habent, & *Iuanges* dicuntur. Vt ab Insula *Othonis*, vbi classem armârant, deducti in *Mindanam* venêre, desilientes in terram primo statim tantarum copiarum aspectu territos hostes dederunt in fugam, iámque victoriam conclamabant; sed malè feriatus aliquis è *Mindanensibus* mox eam interpellauit: qui cùm esset appotus, obstinata mente nostrum *Capitaneum Generalem* trucidare constituit, licèt ei suâ ipsemet animâ daturus esset inferias.

*Xarpen* ergo suam arripit; acinacis genus, capulum plumbo grauem habens, quo tam validi fiunt ictus, vt quemquem attigerit, medium secet. Abdit se in arbusto propter viam, qua nostri transibant ouantes: vt *Generalis Rodericus* accessit, prosilit ex improuiso, tantáque vi acinacem vibrat, vt medium ei caput ab aure ad aurem diffiderit. Et *Mindanaus* quidem in eodem loco ab his, qui *Generalem* comitabantur, occisus est; nemo tamen è nostris prosecutus est hostem. Et hoc principium fuit malorum, in *Philippinis* deploratorum tot annis. Cùm enim exercitus noster, amisso capite

pite, nihil vltrà tentaret; satis habuit recipere sese ad locum quendam tutiorem eius fluminis, ibidémque se ab hostium incursu munire: Vbi P. Ioannes de Campo, vir magni ardoris & insignis Euangelij præco, cœpit instituere vicinos aliquos populos, donec operi eidem est immortuus. Multi accolæ fluminis sub ditionem *Hispanorum* venerunt, Regi nostro tributa pendentes. Postea verò præsidium indè in alium portum *Calderæ* translatum, vbi constiterunt *Hispani* aliquot annis, & quamuis non proferrent imperium, coërcuêre tamen Barbaros, ne effunderentur ad prædam, sicut postea fecêre, quàm portus ille à nostris relictus est: quod istis Insulis exitio fuit, hosti terræ marísque dominatu cedente.

Imperitabat eo tempore *Mindanao Maurus*, *Ruysanis* vocabulo, qui maritima omnia in ditione habebat; per fluuialem oram frequentem populis regnabat *Silonganes*, & ipse *Maurus*. Conuenientes inter se hi duo, conuocatis amicis, & aliquo modo iam subditis, quales sunt habitatores Insularum *Sanguilis*, *Sarraganis*, & *Coragarum*, contra *Mindanam* sitarum, & nostras Pictas aliqua parte respicientium, conflarunt magnas classes *Caracoarum*, vt modò centum, modò 50. supra centum procederent armatæ aliquot maioribus tormentis, multis omne genus iaculatricibus fistulis & alijs armis, & nihilominus in terra

ma-

manerent ſex aut octo militum millia. In hunc modum terrâ maríque potentes infeſtabant æquora, capiebant naues noſtrates, depredabantur populos, inijciebant ignes, ſpoliabant templa, Sacra vaſa & ornamenta auferebant, mille iniurijs afficiebant *Diuorum Imagines*, & comminuebant, captiuos agebant *Indos Christianos* tanto numero, vt doleam referens: erat cùm bis mille quingenti ſimul abducerentur. *Hiſpanorum* conditio nihilo melior; mactabantur, capiebantur, in ſeruitutem abripiebantur.

Aliquando cum validiſſimo exercitu proceſſerunt, fœdere icto cum *Hollandis*, qui cum decem nauibus *Baiam Manilanam* aduenerāt. Sanè dum fauent eis *Batavi*, dolenda nobis damna dedêre, capiendo, mactando, prædando, comburendo, quidquid occurrit *Bayalanem* vſque, locum vicinum *Inſulæ Manilanæ*, & opulentum, neque adeò remotum à ciuitate *Manilâ*. In nauali Pantaënſi ædificabatur nauis cum ſcapha, iámque propè perfecta erat; illi eam incenderunt, mactarúntque 30. *Hiſpanos*; *Duces Aciam, Gironem*, & *Ioannem Pimentelium*, qui præerant nauali, cum alijs *Hiſpanis*, & multis *Indis*, abduxerunt captiuos, abſtulerunt arma complura, & alia damna non parua fecerunt. Neque *Patribus & præconibus Euangelij* fuit immunitas: etenim in vltima excurſione *duos Patres Franciſcanos* captos

ptos necârunt, antea verò *P. Hurtadum,* & *P. Paſchalem* cæperunt, quorum ille diu *Mindanai,* iſte verò *Coragæ* fuit captiuus, reliqui per montes conati ſunt euadere crudelitatem horum *Mahometanorum*, diram famem, ſqualorem & ærumnas perpeſſi.

Regi *Ruyſani* ſucceſſit filius *Cachil Corralates*: qui per ſuas artes euaſit patre multo potentior. Sæpe inijt pacem cum *Hiſpanis,* ſemper tamen *Maurica* fide, vt minimè liceret eſſe tutis, quando pari facilitate, qua confecerat pacem, eandem rumpebat, maria armis infeſtans. Quemadmodum fecit anno 1633. quo magnum exercitum emiſit, & multos populos florentes in *Manilana Inſula* prædis & flammâ vexauit: maximè verò in *Inſulis Pictis* graſſati, ex populo *Ogmucenſi* ſupra ducentos occiderunt & abduxerunt: inter eos *P. Ioannem de Carpio, noſtræ Societatis*, quem conciderunt in fruſta: quia *Cachil* ſuis præceperat, ne viuum afferrent, ſed interficerent, *voti* ſoluendi causâ, quo ſe *Mahometo* in graui morbo obſtrinxerat, ſi receperit ſanitatem, non relinquendi *Patrem* in viuis. Eam Deus iuſto iudicio ſuo, & in noſtram pœnam conceſſerat impio.

*Mindanenſibus* iunxerunt ſe alij *Mauri* vicini in *Inſula Iolo*, quæ eodem tempore ſimul tributa ſoluit, & rebellauit omnes *Hiſpanos* interimendo. Et quamuis non magna ſit *Inſula*, neque incolis admodum frequens, valentes

tamen sunt, vt multum nostris facessant negotij, dum suis copijs mare percursant, præcipuè verò *Datus Achen*, nihilo melior famosis piratis *Africæ*. Iste quondam inuasit nauale, quod *Hispani* habebant in *Camarinensi* prouincia, vbi naues condebant; prædatus est, concremauit, mactauit, abduxit *Hispanos* & *Indos*, arma fistulásque igniuomas auexit, non mediocriter inde roboratus in terra. Inuasit *Insulas Pictas* graui damno, cæpítque *Cabaliani P. Ioannem Dominicum Vilancium*, *è nostra Societate*, patriâ *Lucensem*, virum à sanctitate notum *Indis* & *Hispanis*; ipsis adeò *Mauris*; quem ob reuerentiam summæ virtutis nullo malo affectum abduxerunt ad se. Dum autem agitur de redemptione ipsius, placuit Deo plena ipsum libertate donare, solutúmque carcere corporis euocare ad præmia suorum laborum, quos vltra 30. annos conuertendis Gentilibus impenderat, magna omnium approbatione; ac sinceritate quadam cælesti, quæ Deo & hominibus amabilem fecit.

Sepelierunt eum *Mauri* in *Insula Iolana*; neque corpus ab eis impetrari potuit; aiebant se illud retinere velle, quia fuerit homo sanctus. Tanta est vel apud *Mauros* virtutis & sanctitatis existimatio. Addebant nonnulla, quibus illa diuinitus demonstrata fuisset; quæ quia parum comperta sunt mihi, prætereo. Deus, cùm ad maiorem suam gloriam specta-

uerit,

uerit, luculentiùs ea manifestabit. *Iolenses* elati successibus mari tam secundis, etiam terrâ nihil deteriores habuêre. Ter *Hispanos* aggressi, fortibus armis, ter non sine decore & victoria reuersi sunt.

Hisce malis, quæ à *Mindanensibus* & *Iolanis* oriebantur, nunquam satis occursum est. Nã etsi qui gubernabant exercitus contra illos emiserint, eos tamen vel nunquam offenderunt, propter multitudinem Insularum in illo Archipelago; vel si quando offenderunt, illi protinus coniecerunt se in fugam, quòd nauigia perquam cita haberent, quibus exploratis nostros præuerterent. Ergo vt aliquod rebus afflictis remedium esset, anno 1634. qui tum *Insularum Gubernator* erat, *Ioannes Cereco Salamanca*, superatis magnis difficultatibus, quæ offerebantur, magno studio obsequij Diuini, & Regis nostri, mandauit nostris, vt conspicuo quodam loco *Mindanai*, qui *Samboangan* vocatur, pedem figerent, eúmque probè munirent: quod & *Mindanais* & *Iolensibus* pariter frænum fuit. Qui cùm ad prædam faciendam exirent, conspexêre locum, quem vt per noctis obscuræ silentia, nostris haud sentientibus, præteruehi poterant, non æquè facilè tamen suas domos post illa deserebant in tanta *Hispanorum* signorum vicinia, qui poterant ijs absentibus maxima damna inferre, abducere *vxores*, *liberos*, & omnes *fortunas* auferre;

K adiun-

adiungere ſibi populos eorum, & ſuas inde copias adaugere, aut minimùm ipſos à piratica redeuntes excipere. Grauiter tulit *Cachil* hanc viciniam, & quia ſolus iam non videbatur poſſe prodire, conuocauit *Iolanos, Burneyas* & *Camucones*, qui diuerſis locis noſtras inſulas popularentur; ſicut fecerunt.

Natio *Camuconum* Inſulas habitat *Regi Burneyum* ſubiectas; hæc modò ſola, modò iuncta copijs *Burneyum* maria noſtra infeſta reddebat, & inſulas noſtras prædabatur, multos *Indos* capiendo, *Hiſpanos* autem, quotquot poterat, obtruncando. Nullum enim omnino in ſuas terras inducere, aut vitâ donare decreuerant. Gens crudelis, vt quæ maximè; paucis primùm & exiguis nauibus vſa, poſtea creſcente audacia indies maioribus, donec magnis demum claſſibus æquora ſternentes, damna decumana inferrent.

Dum *Archiepiſcopus F. Michaël Garcia Serranus* Diœceſin *Bondocenſem* luſtraret, ingruerunt hi *Camucones* manè quodam: ægrè ille per montes fugà ſe proripuit, ipſi argento & Pontificalibus ornamentis potiti. Eodem anno ceperunt *P. Ioannem de Miſſis, noſtræ Societatis*, qui *Tayaba*, vbi Euangelium prædicârat, reuertebatur in creditam ſuæ diſciplinæ inſulam *Marinducam*. Obtruncato *Patre*, quotquot erant in eius nauigio, captiuos duxêre. Mitto alia mala, quæ intulerunt vſq; ad *annum 1636.*

quo ſolicitati à *Rege Cachile Carralate*, numeroſo cum exercitu ad interiora noſtrarum Inſularum ſe penetrantes, exſcenderunt in terram; ac *Palapagem*, quæ à *Societate* erudiebatur, prædati, & *Caput*, quod à *Spiritu Sancto* nomen habet, præteruecti, cæperunt vltra centum *Chriſtianos Bacenſes*.

Præter hos prædones, ineunte *Aprili 1636.* ipſe quoque *Rex Cachil* expediuit magnum exercitum, ſummo Duce *Tagale* è principibus *Mauris*, qui vt noſtrum præſidium & robur *Samboangæ* in ſuis primordijs erat, impunè tranſire potuit in Inſulas noſtras, diuiſúſque in multas partes multos mortales vi cæpit: inter eos etiam *tres Patres Recolletos Ordinis S. Auguſtini*, & *Hiſpanum* quendam præſidem inſulæ *Cuyo*; multas opes prædatus, expilauit templa, ſacráque vaſa & ornamenta aſportauit, corrupit *imagines*, & inter has *Crucifixi* perquam ſcitè in lino depicti, qua *Mindanaus* quiſpiam pro penula vſus; multùm ſe oſtentabat, iactabátque ſe Deum Chriſtianorum cepiſſe. Inter ſacra vaſa etiam id erat, in quo Diuina Sacramenta ſeruantur. Atque ſic demum *octauo menſe* domum ſe recepêre.

Magnum ea poſtrema incurſio dolorem inuſſit *Gubernatori Hurtado Sebaſtiano de Corquera*, quia iam ab *anno* præfuerat *Philippinis*: accenſus ergo ſtudio honoris Diuini, & ſui

Regis propoſuit, multis difficultatibus & cauſis, quæ contrà dicebantur, ſuperatis, inſolentiam Barbarorum iſtorum vlciſci; maximè cùm videret benignum ſuis votis Deum, præſentiâ & interceſſione ſerui ſui *P. Marcelli* indulta, fauere. Atque vt rectiùs omnia conſtituerentur, pro *ſummo Duce* præſidij *Samboangani* miſit *Bartholomæum Diazium Barreram*, & pro eo *ſummum Vigiliarum Magiſtrum Nicolaum Gonzalez*, vt omnibus, quæ opus erant, præparatis, maria à prædonibus illis purgarent.

Vbi *Samboangam* venerunt, *Dux Bartholomæus Diaz* pro certo comperit, *Tagalem ſupremum Corralatæ Ducem*, adiutum eius noctis obſcuritate, cum octo nauibus, diuite præda onuſtis, tranſijſſe inter Inſulam *Baſilanam* & *Mindanam*. Summa itaque celeritate ac ſtudio, intra duas horas, quinq; *Caracoas* inſtruxit, eíſque *Nicolao Gonzale Duce* impoſito cõceſſit ad rupem vægrandem, terminum montis cuiuſdam haud magni, protenſi in mare, verſùs orientem triginta leucas diſtantem à noſtro præſidio, vbi hoſtis munimentum habebat proſpiciendæ latè viciniæ factum, & ſtationem, vnde ſe in montem reciperet. Sòlebant enim Barbari in illud cacumen aſcendere, quoties è ſua regione vel exirent, vel in eandem redirent, multa haſtilia teláque è ſuperſtitione mittentes, vnde etiam promontorium

rium ſeu *rupem iaculorum* vocarunt. Inſuper palos pangentes cum varijs ſpurcitijs ac retrimentis, tam ciborum, quàm veſtium obſoletarum fædiſſimo ſuo *Mahometa* dicabant.

Paullò pòſt Deus oſtendit, quantum probaret pia hæc ſtudia *Gubernatoris* : etenim è ſententia res noſtris euênit, qui manè *diei vigeſimi Decembris*, *S. Thomæ Apoſtolo ſacri* (eodem omnino tempore, quo *Samboangæ* noſtri coràm *Sacroſancto Sacramento* proſtrati copijs emiſſis orabant victoriam) in hoſtis conſpectum delati, tanta vi impreſſionem fecerunt eo die noctéque ſequente, vt quamuis inſtar deſperatorum Barbari atrociter ſe defenderent, tamen ad deditionem faciendam perpulſi fuerint, omnésque naues eorum captæ, præter vnam claudam & mutilam; quæ vt effugere poſſet, omnium opum & captiuorum fecit iacturam.

Reliquæ, rebus opimis onuſtæ, militibus noſtris in prædam ceſſêre, præter arma, Sacra vaſa & ornamenta, quæ ſuis Dominis, quantum conſtare potuit, reſtituta. Occubuit ibi etiam *Dux Tagal*, cum alijs ſupra *trecentos*, tam obſtinatos, vt noluerint ſe dedere, etiam ſalute à noſtris oblata. Felicior fuit *Frater Tagalis*, qui grauiter ſauciatus manus dedit, affirmans ſemper ſe *Chriſtianam Religionem* habuiſſe pro vera; vnde etiam *ſacris vndis* potitus animam exhalauit. Recepti ſimul ſunt

*centum Christiani captiui*: inter hos vnus è *Patribus Recollectis*, quos diximus; verùm ità onustus vulneribus, vt confestim fit mortuus, non sine animi sui gaudio, quòd oculis vidisset nostrorum Ducum fortitudinem, qua pro honore Dei repressa Barbarorum insolentia foret, ne *vno* quidem *homine* in tanta pugna ex *nostra parte* amisso.

Accidit eadem nocte, quâ obtenta fuit victoria, *latum prodigium*, quo maius aliud portendebatur, diabolum, post aduentū *P. Marcelli* in has Insulas, debere facessere. Nam horrendo motu concussis terrâ & mari, cum omnium terrore diræ à quibusdam voces & eiulatus auditi, quiritantis exturbari se ex ea Prouincia; ac simul ingenti fragore decidit scissa pars rupis, quàm diximus ità infamem fuisse, quà superstitione Missilium, quà multis alijs rebus abominandis; quando sæpe diabolus ibi corporatum se & aspectabilem præbuit. Ostendebatur à Deo, tetram superstitionem adeo firmatam in hac Insula casuram, locúmque sacræ nostræ Religioni daturam: prout euentus docuit, & ex Epistola *P. Marcelli* patebit, quam *P. Ioanni de Salazar Prouinciali Philippinarum* inscripsit; eam visum est integram hîc reddere, vt ex eius scripturæ candore magìs appareat veritas rei, & sanctitas viri.

CA-

## CAPVT XIX.

### *Epistola P. Marcelli de Occupatione Insulæ Mindanæ.*

Gratia & Pax Christi. &c.

M*Inimè sanè expectassem à Rª Vª mandatum reddendi rationem nostræ expeditionis* Mindanaicæ, *si sciuissem eas, quas* Lamitano *dedi ad* P. Ioannem de Bueras, Samboangæ *mansisse: minutissimè in ijs descripseram totum successum, quas petieram, vt legeret Rª Vª vt absque proprijs cognosceret omnia, quæ acta sunt. Nunc vt obediam voluntati Rª Vª postea quam* Taytayam *perueni, referam fideliter, quidquid in memoria fuerit.*

### *Expugnandæ Mindanæ consilium & apparatus. Pars I.*

CVùm sedisset animo *Domini Sebastiani Hurtadi de Corquera, Gubernatoris istarum Insularum*, exercitum in *Mindanaicam* expeditionem educere, de hoc retulit ad militare consilium. Sed excepto *supremo excubiarum Magistro, Petro Hurtado de Corquera*, sobrino suo, nemo vnus ex eius sententia dixit. Nihilominus ipse studio proferendæ gloriæ Dei, ac reuerentiâ suæ Maiestatis, tenax propositi decreuit exequi, quod explicatè Rex datis *Matriti 16. Febr. 1635.* mandârat.

Ergo die *Purificationis Dominæ nostræ, 2. Februar.* huius *anni 1637.* epulo Diuino refectus cum omnibus suis militibus in gemina æde palatij sui, vndecim nauibus iam hoc ornatis eos imposuit. *P. Ioãnes de Barrios,* & *ego* in prætoria collocati sumus, cum *Gubernatore* & *summo vigiliarum Præfecto Domino Mario Zapata,* quem ille pro socio & contubernali assumpserat: *Dominus Iulianus,* rei diuinæ pro exercitu curator, in altera fuit cum *Domino Petro Hurtado de Corquera*: in alia *Ducis Laurentij Vgualdi, Augustinianus* quispiam, qui pro Confessario *Pampangorum* aduocatus aduenerat. Et quia pridie per literas nunciatum erat Archiepiscopo, *octoginta Caracoas hostium* stare in insula *Mindero, Gubernator* vt eas caperet, cum quinq; nauibus ad latus insulæ illi oppositum contendit, *Ducem Vgualdum* iubens cum reliquis per interiora nauigare vsq; ad montem *Nassi,* qui prominet in mare à latere insulæ *Othonis.* Sed quia nullum vestigiũ hostis apparuit vsquam, comperta est literarum illarum fallacia, cacodæmonis astu confi-cta, vt nos ab hac via diuerteret: Quia necesse fuit vltra duodecim dies impendere, donec per totidem leucas possemus à *promontorio Nassi* peruenire in *Othoniam*; Euris rectà contra nos flantibus.

Quadam die cùm flectere vellemus viam, tanta vis ventorum & maris fuit, vt fregerit

nobis

nobis clauum, præsentissimo periculo effundendi nauem, omnésque submergendi; & me primum; cùm enim essem in puppi, nihil propius fuit, quàm vt excuterer, sæuis ventis improuisa, celerrimáque conuersione rapientibus nauem, nullo amplius clauo retentam, cùm ego rhombo nautico impeditus non possem ad interiora recedere. Tanta denique rabies ac dolor ex nostra profectione diabolo accidit, quòd se loco pellendum timeret, vt, sicut postea compertum fuit, sæpius cum certa quadam persona grauiter sensili voce è silua sit questus. *Quidnam venis? quid tibi vis? quis te huc attulit? sacrum & sacrilegium caput, ego tibi semel animam extinxero, & sic nostræ contentioni finem dabimus.* Aliáque id genus. Neque tunc habita est ei fides, tanquam mendaciorum parenti; sed mox docuit experientia, quantum allaborârit impedire hoc iter.

Vt autem hæc non omnia tantùm, sed etiã singula tædium possent adducere, minimè tamen illud admittebat suauissima consuetudo *Gubernatoris*, ac distributæ suis horis occupationes Diuinæ. Manè *sacra* faciebamus *P. Ioannes* & *ego*: mox cum eodem *Gubernatore* decurrebamus *Horas Canonicas*, ac *Dominæ nostræ* cum *Matutinis Defunctorum*: quartâ pomeridianâ *Vespertinas* & *Matutinas* diei sequentis: sub noctem *Salutationem* cœlestis Reginæ cum *Litanijs* publicis, ac postea pro pijs Mani-

bus,adiuncta narratione alicuius Historiæ, eò spectantis, mirifico omnium fructu. Neque existimet Rª Vª in ea repugnantia ventorum, quæ ad *promontorium Nassi* fuit, nos amisisse punctum temporis, aut horæ momentum: quia mandata missa ad Insulas *Pictas*, vt *Indorum* suppetiæ se actutum coniungerent; qui in *Othoniam* amandati cum *Domino Francisco Olazarano*.

Venerat hic cum *P. Michaële Solana*, *Rectore Othoniæ*, *P. Francisco Angelo*, & *P. Gregorio Belino*, qui *Samboangâ Manilam* ire cogitabat, nunciaturus Prætori victoriam *Nicolai Gonzalez* contra *Caracoas Mindanenses*, reuersas à præda insularum, cum aliquot captiuis, & sacris ornamentis. Ijs, quæ *P. Rector* ex *Othonia* secum attulit, nos probè refecimus vires, ac postea totus exercitus in *Iloylo*, quò *Gubernator* cum eodem *Patre* triduo nos præuenerat, vt tempus haberet vallos & munimenta lustrandi & videndi, an ita reparata essent, vt ex eo præsidio possemus habere suppetias. Et *P. Angelus* quidem statim doctrinæ Christianæ gratiâ reuersus est in Insulam, quæ *Nigrorum* dicitur. *P. Rector* inscendit nauem *Ducis Martini Montesij*, cum mandatis *Generalis Samboangam* iturus; quò nos peruenimus *die Dominica Quinquagesimæ 22. Februar.*

Ibi *Generalis* edixerat, ne vllum in appulsu tor-

tormentum liberaretur, aut vlla nauis flumen intraret, ad præcauendam proditionem nostri aduentûs: qui tamen mox *Corralati* innotuit, per filium primarij cuiusdam *Basilani*, qui captiuus illic attinebatur ea lege, vt liberari non posset, nisi multùm rogantibus *Patribus*, ad animos *Maurorum* conciliandos hac ratione *Praeconibus Euangelij*. Postridie promulgata est *Communio generalis* cum amplissima indulgentia, & remissione pœnarum: & quòd appeteret *prima Dominica Sacri Ieiunij*, *Gubernator* omnibus militibus *confessionem peccatorum* apud sacerdotem, & eius factæ tesseram præcepit; Familiæ suæ & munia belli fungentibus Diuinam Synaxin: quam ipso præeunte simul omnes vno die perquam religiosè obierunt, magno animi mei fructu & gaudio.

Ingens fuit omnium ardor, multæ confessiones repetitæ à pluribus annis. Ad quæ non parùm attulerunt momenti adhortationes & conciones habitæ per eos dies. Finita Communio est die *Dominica*, quando etiam, coràm proposita *Sacrosancta Eucharistia*, audierunt omnes concionem *P. Belini*. Pro solennitatis conclusione, Vesperè *Generalis* cum toto exercitu me dicentem audiuit, quantâ reuerentiâ ac deuotione animi nos in Templo immēsæ Maiestati apparere conueniat: nam de hoc argumento *Gubernator* sermonem popoſcerat. Dixi, vt potui, & ad extremum cohorta-

tus

tus ſum milites ad præſentem expeditionem, & ad fortiter dimicandum pro Chriſto, cuius *Imaginem* in lino depictam impius *Maurus* manibus pedibúſque truncârat, mediámque perfoderat, vt eâ vteretur pro penula. Attulerat eam *Gubernatori P. Belinus* inter ſacra ornamenta, quæ recuperârat *Nicolaus Gonzalez*: in eadem verò pugna *Maurus* ille, dum eam geſtabat, occubuit.

Cùm ergo iam *Manilæ* cognouiſſet, me auidè res tales conquirere, me ad *Naſſum* illâ donarât. Eam vt milites conſpexêre, me ad vindicandam iniuriam ſeruatoris, fidem eorum & pietatem obteſtante, ità lacrymis affluxere, ità pietate commoti, ita vindictæ ſacra cupiditate ſuccenſi ſunt, vt, ſicut poſtea dixerunt, parati fuerint, cùm primùm templo egreſſi forent, infeſtis armis pro Chriſto totum mundum inuadere. Tantus ardor animis erat, vt palàm dicerent, infelicem eſſe matrem, quæ non haberet filios in expeditione tam glorioſa & ſancta.

## *Profectio in Mindanam, & Mauricæ ſuperſtitionis abolitio.* Pars II.

ANimis ita præparatis, *Champanes*, (nauium genus) quæ adductæ fuerant *Mindanam*, vna, & ſeptuaginta leucis *Samboangâ* diſtantem, reuerſæ *tertio Martij*; *quarto* ſecuti ſumus nos, cũ *Gubernatore* in vndecim *Caracoas* diuiſi.

uisi. Quatuor cohortes fuêre, tres *Hispanorum*, quarta *Pampangorum*. In cohorte *Gubernatoris* milites centum quinquaginta fuerunt; in *Nicolai Gonzalis* centum, totidem in *Vgualdica*, nauticam pubem cum *Pampangis* Magister campi ducebat.

Non omisero hîc referre, quod accidit eo die Martis, quo discessêre *Champanes*. Omnium desiderium erat, ne *Gubernator* solueret antè *diem Sabbathi*, vt interim conspiceremur *Indorum* suppetias; nolui tamen id ab eo petere, donec priùs Deum consulerem. Rogaui ergo *P. Rectorem*, ex meâ mente faceret sacrum in honorem *S. Francisci Xauerij*; feci & *ego*; mox in conclaue nos recepimus, atque apta prece præmissa, ille aperuit librum *Epistolarum Sancti* eiusdem, quem ego pro oraculo Diuinæ voluntatis habeo; ac designato priùs loco, quem legeret, ad ista verba peruenit: *Sæpe cogitamus, melius esse, quod nobis videtur, nihilominus debemus res ei permittere, qui illas moderatur, si certi esse velimus.*

Cùm tam apertè nobis declarata esset *Sancti* voluntas, constitui, nihil vltra de negotio *Gubernatore* conferre: fuit profectò diuinitus moderata res tota ad victoriam adeò illustrem, vnde & *Mauri* pudorem acciperent, & *Indi* amici argumentum, quòd *Hispani*, si velint, etiam sine ipsorum auxilio possint in suis terris pugnare & vincere.

In

In sinu *Silangæ* atrocem & periculosam tempestatem subiuimus; quam quia *Reliquijs* & *obtestationibus sacris* auertimus, clarissimum fuit, à diabolo commotam fuisse. Hîc *Nicolaus Gonzalez* cum octo *Caracois* dimissus est, vt assequeretur *Champanes* per *Silangam*, qui sinus est maris duarum leucarum, inter magnam Insulam *Mindanaum*, & aliam paruam; *Gubernator* cum reliquijs ad *promontorium iaculorum* contendit, ità *Mauris* nominatum à superstitione, qua sagittas in edita *promontorij* rupe desigunt, quando reuertuntur in patriam, sic gratias *Mahometo* agentes.

Ibi substitimus biduum, donec reliquus exercitus adueniret: interim ego in continente rem Diuinam peregi, diabolum priùs execratus Ecclesiæ ritu, per exorcismos, aquam lustralem, & alia piamenta. Continuò nostri milites cremarunt omnes sagittas ibi defixas, quæ innumerabiles erant, cum plurimis rebus esculentis, piscibus, ouis, alijs, quas pro sua irreligiosa religione solebant paxillis nigris defixas ibi relinquere.

Multa verò *Crucis trophæa* statuerunt varijs locis, noménque *promontorio*, abolito vetere, à *S. Sebastiano* impositum, qui sacratis suis sagittis impias illas expunxerat, quæ tot annis nos malè confixos habebant: simul etiam in monumentum perenne *Domini Sebastiani*, qui *primus è Gubernatoribus* occupauit hoc *pro*-

*mon*-

*montorium*; quando etiam non sine prodigio subitò iugum illud abominandæ superstitionis collapsum est ea nocte, qua *Nicolaus Gonzalez* conflixit in eius aspectu.

Omnes eidem *Sancto Martyri* acceptum retulimus, qui pro pignore victoriæ, à *Domino Sebastiano* in hac expeditione reportandæ, cacumen illud impietatis euerterit: maximè verò, quòd corruerit ea solùm parte, qua *Mindanũ* spectabat: sicut omnes cum admiratione inuenimus. Dum hîc moramur, nauis hostilis aduênit, exploratúra copias nostras: ea mox tormenti explosione salutata, sed quòd remotior esset, capi non potuit; vnica scapha in potestatem venit cum quatuor *Indis* nostris captiuis, qui fugâ se eripuerant.

Ex his cognouimus, hostem opperiri in flumine *Mindanao*, & in procinctu esse aliquot naues *Iaborum*, oneratas *Christianis captiuis*. Non sine magna miseratione *Gubernator* istud accepit, quòd adeò miserabili seruitute premerentur tot animæ, statímque proposuit, indefesso dies noctésque certantium remorum agmine, ad naues illas capiendas contendere. Et verò Sanctus hic animi feruor fuit vnica & vera causa, cur classem nostram non expectaret, quem ei Deus tantâ victoriâ præclarè est remuneratus, vt Rª Vª intelliget.

Volebat diabolus, qui tot annis *promontorium* supra memoratum tenuerat, conatus

no-

nostros infringere, & impedire, ne vltrà possemus procedere; quare *ter* coacti sumus vi ventorum retrocedere: *quarta* demum *vice* quamuis nullus ventus nobis contrarius esset, & *nonaginta vectores* validè remis incumberent, tamen *hora amplius ne palmum* quidem promouere potuimus; vt manifestum esset stygiâ remorâ nauem teneri. Vnde promptis iterum sacris *Reliquijs*, & *Carminibus*, absque difficultate processimus.

## *Occupatio primi propugnaculi, & fani Maurici. Pars III.*

VIctis iam inimicis infernis, in conspectum *Mindanai* cum quatuor *Caracois* peruenimus die Veneris, *13. Martij*. Facto ante lucem sacro, *Gubernator* in Scapham descendit, cum sex militibus tantùm, exploraturus naturam loci, & altitudinem omnium fluuiorum, ac portuum eius oræ, capturúsque si posset, *Maurum* aliquem, qui esset pro viæ nobis ignotæ ductore. Insecutus est aliquos vsque ad stationem illorum, & duplici ignitorum missilium iactu petiuit, sed illi nauibus relictis effugerunt per flumen; auditâ verò ex aduerso regionis interioris, ad vnius iugeri distantiam, ferrearum pari fistularum responsione, in metu fuimus, ne forsan adeò progressus *Gubernator* fuisset, vt iam cum hoste cogeretur conserere. Recitatis ergò confe-

stim

ſtim *Litanijs*, omnibus viribus impulimus remos, vt ei ſuccurreremus, at is iam ſe receperat.

*Vndecimâ horâ diei* in ſuam Caracoam aſcendit, præcipiens omnes quatuor, cum duabus *Champanibus* noſtræ Claſſis, ac *Ducibus Roderico* & *Vgualdo*, qui triduo antè aduenerant, ac tres *Caracoas* ademerant hoſti, conſiſtere circa fluminis caput; quòd illic apparerent aliquæ domus, non tamen ſatìs conſtaret, quod in eis genus hominum eſſet: & ad me conuerſus dixit; *In his domicilijs cogito meos milites & ſigna ſtatuere.* Tum mandauit, vt mox omnes corpora curarent; promiſitque terreſtri via *Dominum Franciſcum Olazaranum*, cum 25. fiſtularijs, ad locum tutandum. Reſonantibus omnibus tubis ac tympanis, duxit partem claſſis in homines illos ad campum purgandum, atque vbi cum tota militum manu, quæ partim *Hiſpanis*, partim *Pampangis* ferè 70. conſtabat, in terram deſcendit. *Dominus Petrus Hurtadus de Corquera* aciem inſtruxit, & ex mandato *Gubernatoris*, duos manipulos in fronte conſtituit, hoſtibus terrori futuros.

Meum fuit accendere animos militum, & excitare mirifica *Imagine S. Franciſci Xauerij*, & illâ *Crucifixi*, (de qua ſuperiùs memini) quibus vtrinque leuatis in haſta cum *P. Ioanne de Barrios*, *P. Auguſtiniano*, & *Sacerdote* exerci-

tûs in prima acie, ſicut aliàs ſemper, inceſſi: ſub idem tempus, quo exſcendimus, aduenit vnus è noſtris *Indis* captiuis, ex quo cognouimus, illas Copias eſſe *Corralatis*, ſed propter nimium timorem, quo perculſus fuerat à multis fiſtularijs, qui ad noſtri conſpectum ſe in domos prius occupatas abdiderant, plura referre non habuit.

Atque ita pereximus, parùm certi, an aliqua vis militaris adeſſet; quia conſtanter ad nos perlatum erat, omnem potentiam *Corralatis* in arce conſiſtere ſuperiùs, non in caſtello inferiore: ſed quia res Dei agebatur, quòd negabatur medijs humanis; Maieſtas æterna Diuinis ſuppleuit, cæleſti radio & afflatu *Gubernatorem* ducendo; vt planâ viâ ad copias illas relictâ, cum ſuo exercitu in dexteriorem partem abiret. Quo itinere licet videremus nobis iterum tranſeundum eſſe fluuium, non ſine labore, propter duo tormenta, quæ acceperamus nobiſcum, & periculo perſonæ *Gubernatoris*, qui ſe in aquas mittere debebat, ſicut & reliqui milites; nihilominus Deus nos ea ratione liberauit è duobus magnis periculis: *Altero*, quia dumetum, in quo ſe abdiderant hoſtiles copiæ, ex parte viæ ſiniſtra, erat inter denſum lucum cuiuſdam monticuli, vnde non ſinè maxima difficultate potuiſſemus effugere, cùm via eſſet paluſtribus aquis impedita canníſque, hortulis item ac domicilijs.

Gra-

Grauius *alterum* periculum fuit, quòd omnes cohortes exercitûs sui aduocârant in eum locum, quà nobis redeundum fuisset: quæ quia dextrouersum reduci non poterant, factum est, vt nos haudquaquam offenderent. Duo quidem ferrea tormenta maxima celeritate aduexerant, sed eis ignem admouere non sunt ausi.

Cùm essemus è tantis periculis diuinitus, licet inscientes, educti, *Gubernatore* cum exiguis copijs, quas per viam non sine miraculo quodam electam secum ducebat, in primo agmine incedente, peruenimus primùm ad flumen; statímque purgato campo, nostri fistularij vsque ad prima fluuij septa penetrauêre, vbi *Mauri* se primùm obiecerant nostro conspectui, vt paululùm procedente *Domino Gubernatore* ad explórandum hostem, post septa manentem, subitò prosilirent *quatuor Mauri* cum *harpis*: id est *vægrandis* acinacis genus. Conuertit se *Gubernator*, vt incitaret in eos *Molossum nigrum*, quem semper ad latus habebat, eóque non conspecto, quòd pauxillùm esset moratus, manum admouit gladio cum tanto ardore, vt exanimati *Mauri* confestim terga verterínt.

Vnus, *Borongon*, præcipui nominis inter *Duces Carralatis*, cordatior, ingenti animo in alteram septi partem se recepit, nostros transitu prohibiturus; qui iam altera vice flumen

transire conabantur, ad oppugnandum munimentum post prima septa constructum: librauítque duos ictus præualidos in *Ducem Vgualdum*, dimidium nostrorum ea parte ducentem, altero dimidio *Duce Roderico Guillestigio* per inferiora dexteræ partis progrediente, vbi magna *Maurorum* vis erat: declinauit *Vgualdus* agilitate sua ictum vtrumque, & mox gladio suo, quando pectus multis armis tectum non poterat, vultui *Borongonis* vulnera multa inflixit, quibus etsi coactus retulit pedes, non tamen euasit, nostris ingenti ardore prementibus, ac demum gladio *Domini Francisci Olazarani* impeditus à fuga, ante pedes eius exanimis concidit.

Occiso *Duce* tam glorioso, nostri, nemine amplius resistente, perexerant vsque ad munitionem nouâ fossâ defensam, & armis instructissimam, videlicet *octo* magnis tormentis, *viginti septem* canalibus æneis, minoribus fistulis, & alijs leuioribus telis permultis; propugnabant eam plus quàm duo millia *Maurorum* & incolarum, sicut perhibuit *Sogsocanes Maurus*, noster amicus, multa de *Corralatis* munitionibus memorans. Non absterruit *Hispanorum* paucitatem tantum præsidium, quin tanta vi impressionem fecerunt, vt breuì superiores effecti sint & signifer *Amezquita* signum *Hispanum* in summo vallo defixerit, cæsis plurimis *Mauris*, & ijs, qui fugam capessi-

peſſiuerunt, grauiter vulneratis, vt poſtridie cognitum eſt è captiuis. Eodem loco trucidatus eſt munitioni præfectus, *Cachilis* nepos è filia, nupta *Lagunæ* Domino, acerrimi animi iuuenis, plurimúmque auo ſuo dilectus. Deuouerat hic ſe eodem die *Mahometo*, non receſſurum ſe à munimento vſque ad extremum ſpiritum. Expleuit promiſſa.

Signis noſtris in hoſtium vallo micantibus, cum *Gubernatore* ſecundò flumen tranſiuimus, *ego* quoque in editiorem locum aſcendens, leuaui mea ſigna, *Saluatoris Crucifixi*, & *S. Franciſci Xauerij*, cunctis lætum pœana, *Te Deum laudamus*, canentibus Munitioni *Gubernator* cùm nomen à *S. Xauerio* dediſſet, ac vexillarium *Amezquitam* impoſuiſſet cum præſidio militum, ad alterum ſeptum proceſſimus, quod cum vno maiore tormento, tutabatur palatium *Corralatis*, ac *Mahometicum fanum*, vbi poſtremo oppoſuerunt ſe *Mauri*, confiſi in magnificis dictis ſui *ſupremi Ducis*, ne in fugam antè conijcerent ſeſe, quàm ipſum mortuum vidiſſent; arbitrati, eum eſſe immortalem, quòd noſtris armis ei vulnus inferri non poſſet: quia quondam os tibiæ fractum ei fuerat, integra carne ac cute.

Hac inflatus fiduciâ, cum *harpa* ſua obuiam noſtris proceſſit: confeſtim autem fiſtulâ *Subirrei Ducis* duplici glande percuſſus eſt in fronte proterua, quæ ſola vulneri patuit;

quia reliquum corpus clypeus texerat. Corruit ab hoc iactu memento exanimis, & cum eo animi omnium, qui in fano ſeptóque conſtiterant, armísque abiectis protinus fugerunt in montem.

Eodem tempore *Dux Rodericus* cum ſuis, inter montem ac flumen, ità fortiter cum hoſte rem geſſit, vt compulerit eum omnes ſuas naues deſerere, quas metu exercitûs noſtri biduo antè abſconderant in longo receſſu eiuſdem fluminis.

Huncin modum ferè dimidiæ horæ ſpatio, toto loco inferiore potiti, ipſam arcem eiúſque munimentum eodem die occupaſſemus, ſi noſtrum exercitum habuiſſemus collectum. Tanta formido *Mauros* inuaſerat, vt ipſemet *Rex Corralates* faciem luto fœdarit, ne, ſi progrederemur, poſſet à nobis cognoſci: vt narrauit nobis *Christianus*, qui è famulitio ipſius poſtridie manè confugit ad nos, & indicauit, quantus eſſet numerus *Maurorum* vulneratorum, inter eos *Regem Lagunæ* globo tactum in pectore, qui ad nuptias primogeniti ſui cum filia *Corralatis* celebrandas aduenerat.

Addebat ipſe, & confirmabant alij captiui, *Corralatem* iam cogitaſſe cum *Gubernatore* paciſci, ſed *Iaborum* perſuaſione recepiſſe animum ſe defendendi, quòd illi promiſiſſent omnem opem, primámque aciem ſibi depopoſciſ-

poſçiſſent. Neque dictis facta minora fuêre, præſertim in oppugnatione arçis:nam ab illis cædes & vulnera noſtrorum ſunt orta. Sed breuì pœnas conſilij proterui dederunt,non amiſſis tantùm opibus,quas cepimus cum nauibus eorum, ſed ipsâ etiam animâ : etenim ipſorummet *Maurorum* armis cecidêre, qui quòd malum conſilium ſe viderent proſecutos, in rabiem acti, de conſultoribus cæde eorum, & laniенâ ſe vindicauerunt.

Finito conflictu milites ad diripiendum *Corralatis* domicilium verſi, ac Dominus *Gubernator* luſtrata omni continente vſq; âd flumen, & omnibus nauibus, ad fanum contulit ſe cum ijs, qui ſe ipſi adiunxerant. Ibi ante omnia *Mahometi ſolium, libros*, aliáque impiæ ſuperſtitionis inſtrumenta congeſta cremauit. Priuſquam autem *ſolium* igni admoueretur,cum admiratione vidimus ab eo proſilire *duos colubros viroſiſſimos*; magno terrore militum, quibus auferendi negotium erat. Sanè verò aliud eius peſtilentis cathedrę præſidium eſſe non poterat, niſi ceraſtæ & colubri. Iſtis in fauillam redactis,ædem cantata *Salutatione Reginæ Cœli* luſtrauimus, & manè ſequentis diei,qui *Sabbathi* fuit,Deo in honorem *Dominæ noſtræ à bono ſucceſſu* cognominatæ dicauimus,rem diuinam in ea deinceps ſuperelegantì ara facientes, duodecim.diebus, quibus ibi ſubſtitimus.

Eadem *ædes* quia nostro præsidio aptissima erat, *Gubernator* cum Ducibus in ea remansit, militibus distributis in reliquas domos. Sed quia oræ fluminis adsita erat, & proxima mõti, remotior verò à propugnaculo, parùm in ea fuit quietis, tota semper nocte *Mauris* nos ad arma cientibus: & quia propter continuos imbres vsus iaculorum ab igne inualidus erat, perpetua in cura fuimus, ne quà forsan illi nos inuaderent: facturi haud dubiè, nisi sapientia *Gubernatoris* omnia cautim cauisset. Nam cùm iter ad arcem lunato vallo esset apprimè munitum, totas noctes ad præsidium magni ignes & excubiæ peruigiles erant, lustrantibus eas identidem *Vigiliarum Magistris, Ducibus*, & ipso *Gubernatore*, ac nobis, vigilantia memorabili. Quâ conspectâ, *Mauri* non sunt ausi nos aperto Marte inuadere, sed tantùm submiserunt audaciores aliquos ad tentandam fortunam. Atque hoc fere ad principium fluminis, quà nostri commeabant: semper autem à nostris fuerunt repulsi.

## *P. Marcellus ac Gubernator diuinitus erepti periculis. Pars IV.*

IBi nocte quadam, cùm viserem infirmos, eram solus cum *Duce Roderico* in nauicula, cum quatuor *Sangleyibus*, qui præ metu, viam non obseruantes, nos euexerunt in altum. Miraculo indubitato adscripsi, quòd *Mauri* nos

haud

haud viderint, certissimam alioquin victimam eorum futuros. Maius hoc *alterum periculum* istic effugi; longulè à munitione distabant quædam tuguria, in quibus continuas diu noctúque *Mauri* latebras habebant. Id cùm ego nescirem, in ea per aliquot horas à turbis ac strepitu me recipiebam. Quotidie Dei Bonitas me texit, ne vnquam ab eis viderer; donec tandem iussu *Gubernatoris* exusta sunt.

Naues, quæ prima die in flumine conspectæ fuerant, quòd mare altum iam esset, non potuerunt ad munitionem redire ante diem sequentem. Erant vltra trecentas, magnas, medias paruas; maiorem partem oneratæ varijs rebus; quinque vel sex, quæ *Iaborum* erant, vehebant oryzam, oleum, ceram, & alias merces; quas diripuerunt milites *Indi* & *Sangleyes*, præter ceram, quam Regi seruârunt, vnà cum magna multitudine armorum: in quibus fistulæ gestatoriæ supra centum; tubi curules ære fusi maiores octo, minores viginti septē, ferrea balista vna, innumerabilis copia globorum, ferri, pulueris, gladiorum, sagittarum, *Bacayensium*, & *Sompitarum*, (quod genus paruorum iaculorum est, ex tenuibus cannis tam venenatis, vt nisi confestim succurratur medicamentis valde robustis, intra paucas horas perimant hominem) aliorum denique militarium instrumentorum: quæ omnia deportata sunt in puluieriariam domum è Regio-

ne *Mezquitæ*, seu *fani Mahometici*, & seruata à *Pampangorum* præsidio.

Postridie aduentare cœperunt reliquæ naues nostri exercitûs, & à *Gubernatore* caput eius nominatus *Dux Menas*, quamdiu essemus in *Mindana*, *Castellanus* autem munitionis *Xauerianæ Palominus*, *Vigiliarum Præfectus*, què locū etiam diligentiùs munierunt, aditu ex omni parte concluso; nouóq; sed occulto septo circumdederunt, sic dispositis loculis, duo vt essent ordines iaculantium globos, maiores atque minores. Quo in opere multum sudârunt omnes milites, præcipuè *Petrus Hurtadus de Corquera*, munimentorum struendorum peritiam in *Flandria* consecutus. *Gubernator* ipse, qui structuræ argumenta dictârat, primus arrepto ligone reliquos incitauit exemplo.

Proximi dies, *Dominicus* & *Lunæ*, varijs excursionibus & castellorum oppositorum crematione consumpti; *Ducibus Roderico* terrâ, *Vgualdo* cum suis mari, tendentibus vsque ad Castellum, & vetus domicilium *Corralatis*, à *Linteolo* cognominatum, cui vnà cum alijs pluribus castellis, & magnis nauibus in alio flumine absconditis ignem subiecêre. Reliquus miles occupatus in perforandis mergendísque piraticis *Myoparonibus*, qui multi & perquam agiles erant; & in peruestigandis, quæ defossa latebant, thecæ militarium tuborum,

rum, ferri, ceræque vis; tria campana, denique ahenum vægrande, quod ad ingreſſum fani ſtabat aquâ plenum, quâ *Mauri* pedes abluerent, priuſquam *fanum* intrarent.

Eodem *die Dominico Gubernator* miſit vnam è *Caracois Maurorum Samboangam*, plenam *captiuorum Christianorum*, & *Sangleyum*, qui poſt primum diem frequentes ad caſtra venerant, nominatim *die Sabbathi* manè per flumen aduectus erat *Indus* captiuus magno natu, cum duodecim alijs familiæ ſuæ liberiſq;, vxore, ſocru, & alijs, maiorem partem *Mauris*, erecta præalta *Cruce* in puppi, cum albo vexillo: quæ ſanè res omnibus copioſas lacrymas excuſſit præ gaudio, cùm eos tanta alacritate aduentare viderent, miſerabili tyrannidi cacodæmonis *Mindanenſis* ereptos.

Non tamen hîc omiſero, nonnulla me ſollicitudine tactum fuiſſe, cùm eiuſdem *Sabbathi* manè *Maurus* in lembo deſcendit, toto, vt præ ſe ferebat, corpore fractus, duáſque gallinas aſportans, quas ipſimet *Hari* (hoc illi vocabulo *Gubernatorem* harum Inſularum appellant, quod linguâ eorum *Regem* ſignificat) cupiebat coram offerre in manus. Rogatuſq;, cur aduenisset, reſpondit fame ſe coactum abijſſe, ex arce, vbi quia defecerit omnis commeatus, intra paucos dies profugituri ſint omnes. Res docuit poſtea, id mendacium putum fuiſſe, quando magna cibariorum copia

illic

illic reperta confirmauit meam aliorúmque suspicionem, imposturam subesse à stygio veteratore malum aliquod per suos ministros moliente in caput nostri *Gubernatoris*. At is, vt semper aliàs, ita hîc circumspectè prouidéque se gessit, vt, *Mauro* non admisso in conspectum, iusserit eum ad *Sosacanum* adduci è *Mauris* præcipuis amicum nostrum, qui *Samboangâ* nos comitatus fuerat, vt hominem traderet præsidi munitionis eiusdem. Quod ille etiam fecit, & nos pariter liberauit periculo, quod *Gubernator* eiusdem admissione in sui conspectum potuit adire.

*Expeditio Hispanorum in arcem hostis infausta. Pars V.*

COmpositis rebus *Xaverianæ* munitionis, & inferioris Castelli, exustísque nauibus omnibus, vsque ad tres vel quatuor, quæ reseruatæ sunt, vt *Samboangam* ducerentur, aduenit *Nicolaus Gonzalez die Lunæ* serò circa horam decimam sextam; quo noster exercitus indiguerat. Sed eum detinuit sæua tempestas, quæ apud *Silangam* fuit, & perdidit ei vnam *Caracoam Ducis Xineri*; nemo tamen præter puerum vnum aquis haustus interijt. Continuò *Gubernator* disposuit omnia ad postridianam expeditionem in arcem, iussitque militibus panem bis coctum & caseum præberi in quatuor dies: qua re *Generalis Vigiliarum Præfectus*

*fectus Petrus Hurtadus* cum adiutore *Francisco Olazarano*, totam noctem occupati fuerunt; *ego* vero excipiendis *confessionibus* militum, haudquaquam contentorum, quod hoc iam *Samboangæ* studio magno fecissent.

Tertiâ matutinâ cæpimus sacrificia *Missæ*, quorum primo perpetrato *Gubernator* habuit orationem ad milites, tam appositam tempori, & acceptam animis audientium, vt ex ea magna Viri prudentia, studium honoris Diuini, & experientia militaris clarissimè reluceret. Inter nos conuenerat, vt cùm ipse perorasset, *ego* militibus *Imaginem Crucifixi*, *Sanctique Francisci Xaueriy* monstrarem, quod & ipse exercitus desiderabat, sæpiúsque petierat: sed vt R.ª V.ª omnia vera confitear, nunquam aliàs sic excidi corde, atque ità omisi id facere; quod quasi præsagium fuit eius, quod paulò pòst accidit nobis.

Exhortatione finita, misit *Gubernator* ad *Nicolaũ Gonzalez*, cum *P. Melchiore de Vera*, qui *Samboangâ* cum ipso aduenerat, centum & viginti *Hispanos*, triginta *Pampangos*, octoginta *Indos*. Primum agmen *Dux Castellus*, alterum *Bezerra* ducebat, cum duobus nominatis exploratoribus, vno *Mauro*, altero *Christiano*; cum mandatis, vt hostem ad arcis interiora compulsum eadem parte infestarent, prius tamen signo tubâ dato, vt *Gubernatore* eundem ex altera parte pariter inuadente co-

gere-

geretur in medium. Digresso *Gonzale*, suas cōpias ordinauit *Gubernator*, *Vgualdo* primum agmen commitens. Hunc secutus *Dux Rodericus*, aliíque deinceps *Duces*, quibus propria cohors non erat, cum credito sibi quisque manipulo. Clauserunt signa, tormenta, instrumenta, commeatus cum præsidio Postremum agmen *Pampangorum*, *Præfectus Vigilum Petrus Hurtadus* cum *Duce Roderico*, fuit. In Castris *Palominus*, cum bona militum manu, quibus *P. Rector Othonidis Michaël Solana* fuit à sacris.

Dispositis copijs; *horâ sextâ manè*, cum ingenti alacritate progressi, post sesqui leucam insigne castellum offendimus, quod ad pedem arcis positum, peramœnum & elegans erat; hortis, platanis, cannis dulcibus, at omnino solum atque desertum: quia *Mauri* eadem nocte illud reliquerant, prout ex ædibus & igne coniecimus: nam domus regia etiamnum ardebat, quam succenderant, ne fortè *Gubernator*, quando situ & naturâ loci aptissima erat, in ea se communiret. Mandatum tamen est *Adiutori Martino*, vt aliam domum ad ripam fluminis operibus munitionibúsque sepiret, vallo, tubo maiore, ac præsidio *Pampangorum*, pro custodia impedimentorum, & receptu exercitûs. Continuò deinceps ad inquirendam stationem hostilem per fluminis vada perreximus pectore tenus, aqua perfrigida ac limpi-

limpida, qua meliorem in Insulis istis non vidi. Pauló pòst per riuum quendam incessimus pari modo; & iam subire cæperamus planitiem herbidam, cùm *Gubernator* animaduertit inferiùs aliam viam, rogátque ex *Mauro* ductore nostro, an ea non æquè ad arcem accedendi via sit: affirmat ille, rursúmque interroganti, vtra verò melior sit, respondet, vtramque esse oppido malam. Si ergo, inquit *Gubernator*, vtraque perinde difficilis est, malo equidem ingredi alteram, quàm qua nos *Maurus* hic ducit; & mox præcepit reuerti agmen, quod antecesserat, alterámque pergere; nec dubium, quin hoc diuino afflatu & instinctu sit factum.

Consideret hîc R.ª V.ª peculiarem prouidentiam & misericordiam Dei, ac præsidium *mei gloriosissimi Sancti*, in hoc ancipiti consilio, quod Dominus *Gubernator* arripuit. Etenim in altera via, qua nos *Maurus* ducebat, tria tormenta maiora disposita ità erant latenter, vt videri non possent. Vnde si bene ageretur nobiscum, minimùm primum agmen perimi poterat; siquidem solus tubus aheneus, qui stabat inter maiores duos ferreos, quando noster balistarius eum postea exonerauit, repertus est duobus grandibus globis, pedibus caprinis (ignitorum Missilium genus) duobus, & insuper trecentis minorum fistularũ glandibus cum duplici pulueris modo, atque adeò

ternis iaculorum generibus duplicatò grauatus fuisse.

Defuncti tanto periculo tenuimus alteram viam, in qua iterum vado transeundus cum riuo fluuius fuit, quoad radicem arcis attigimus. Quæ cùm esset prælta, mandauit *Gubernator*, vt aliqui è primo agmine viam explorarent in arcem, quæ ad initium ascensûs apparebat perquam ardua & aspera, vt superari non posset, nisi nitendo radicibus fruticum, & manibus pedibúsque reptando, poteránt que duo suprà facilè totum exercitum arcere lapidibus: & videbatur nobis iter, quò longiùs progrederemur, eò difficilius fore.

Processêre tamen exploratores, & nescio vnde dimanauit inter nos opinio, superato primo ascensu viam esse meliorem, atque ità omnes cliuum subiuimus. Persuaserat sanè primo agmini fortitudo animi, & ingens desiderium pugnandi, viam esse molliorem, quæ perquam angusta, inuia, & periculi plena erat, propter horrenda vtrinque præcipitia. Iterum tamen iterúmque spiritu resumpto progressi, sperabamus in editiorem locum nos euasuros, vnde arcem oppugnaremus: sed *Mauri* ex duplici septo, quod erat in dextro latere montis, cæperunt liberare in nos tormenta maiora minoráque, non sine nostro damno, aliquot vulneratis. Me globus magnus ità percussit, vt senserim quidem;

alio

alio tamen malo non affecit, quàm quòd in perforata tunica ſignum ſui, ac pariter Diuinæ protectionis, in periculo tam manifeſto, reliquerit: quod vtinam pro pignore ſit mihi mortis glorioſioris.

Iudicàrunt omnes, aliud præter illa duo, ſeptum non eſſe; verùm qui antecedebant, adhuc tertium ante arcem deprehenderunt, quod prius ex inferiore loco videre non poterant. Ibi ergo inuſitato ardore noſtri depugnauêre; ſed quia ſeptum loco fortiſſimo ſitum, & aſcenſus peranguſtus & acerbus erat, abrupta vndique formidabilia, & omnia expoſita iactui globorum, omnéque genus miſſilium, ſompitarum, bacayarum, atque ſaxorum, vix aliquis è noſtris conabatur luſtrare locum, quin ſubitò vel occiſus, vel vulneratus iacuerit. Et hæc fuit cauſa, cur plus quàm duabus horis dimicando, arce potiri nequiuerint.

Hoc tempore nos quatuor ſacerdotes, qui ſimul aſcenderamus, *P. Ioannes de Barrios*, *Auguſtinianus ille*, *Sacellanus*, & *ego*, vulneratis expiandis, & reliquis animandis operam dedimus. Et quamuis totâ viâ nunquam dimiſerim vexillum meum, *imaginum Chriſti*, & *S. Xauerij*, tamen ſub ipſo conflictûs articulo, feruore correptus egi, quidquid Spiritus Sanctus dictabat: & ſic fui coactus vexillum dare militi cuidam, qui cùm longiùs, quàm ei man-

dâram (quia erat in custodia Corporis Domini *Gubernatoris*) esset progressus, vt propiùs inspiceret septum, excussus è maiore tormento globus ità inter lintea imaginis vtriusque transiuit, vt neutram attingeret. Erat tum *Sancti facies* ad septum conuersa; & arcano modo, non satis habeo dicere, quali cognitum est, globum illum à diabolo in caput illustris cuiusdam personæ directum; sed ab *Sancto* aliò versum fuisse.

Equidem conspicatus res in tam arcto sitas, pro mea parte magno me *voto* erga *Sanctum* obstrinxi, dixíque alta voce *Gubernatori*, vt ipse quoque *voueret* eidem *Sancto sacellum S. Michaëlis*; ad quod ipse maximo & munificentissimo animo respondit: *Ita Pater, perelegans & perquam scitum effecero.* Visum est mihi, talem potissimum ædem dictare, quòd *S. Michaëli* nossem *S. Xauerium*, dum erat in viuis, deuotissimum fuisse. Sed inficiari non possum, eo tempore per mihi ægrè fuisse, non ex metu globorum præteruolantium aures, & formidabilem ruendis ædibus fragorem edentium, quia sanctè possum affirmare R$^{a}$ V$^{a}$ nullâ me vmbrâ timoris in hac tota expeditione tactum fuisse, Deo sint gratiæ; quia pericula, quibus maiora in tota vita mea non adij, animo meo maximum & solatium & incrementum attulisse, (Deo sit benedictio, & gloria sancto Nomini eius, qui attingit à fine vsq; ad

finem

finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter.) quia me per tot ambbages tam propè ad anti-qua deſideria mea perduxerunt. Ergo non ex metu mihi nata eſt ægritudo, ſed ex eo, quòd viderem noſtrorum militum animoſiſſimum, ac fortiſſimum quemque, vel mortuum, vel vulneratum: quanquam illud eam eleuabat plurimùm, quòd antea viderim eoſdem, prælio ſe dare, *Chriſtum*, & *S. Franciſcum Xauerium* in ore ferentes; inter quæ verba etiam animam exhalauerunt.

Complures autem in amplexu earundem *Imaginum*, quæ propterea etiamnum aliquot ſanguinis maculas habent: nonnulli inter oſcula rerum ſacrarum, quas in thecis habebant, expirauêre: alij abſolutione generali à me impertiri petierant, vt rectiùs præpararent ſe ad excipiendam mortem tam glorioſam, quàm propter vindicandam iniurias *Chriſti Redemptoris* adierant; quæ ferè communis omnis ratio fuit. Illi demum, ad quòs tam citò perueniri non poterat, publicè enarrantes peccata ſua, magni doloris ac pœnitentiæ ſigna dederunt: quorum vnus tertiò dixit, *Oro vos, Domini, petite mihi veniam ab illo, quem nominabat; quia Manilæ pecuniâ conductus ſum, vt eum inter pugnandum interimam: quod etiam feciſſem, niſi me Deus redegiſſet in hunc ſtatum.* Luculentum indicium animi de ſuo peccato dolentis; & hic ſolus nocte præcedente con-

fessus non erat, dum alij omnes maxima cum pietate apud me fecissent, epulóque diuino pasti fuissent.

Inter primores vulneratus fuit globis duobus *Dux Laurentius Vgualdus*; Vigilum Præfecto *Petro Hurtado de Corquera*, globus fistulæ minoris os tibiæ dexteræ comminuit, qui cùm non posset amplius consistere pedibus, genibus nitens milites adhortabatur, non sine præsenti vitæ suæ periculo: quia semper mansit in eodem loco, quo vulnus acceperat. *Dominus Rodericus de Guillestigui* felicissimus fuit, quia semper dimicauit, stetítque toto tempore certaminis in fossa septi, sine vulnere memorabili. *Signifir Amezquita* iam euaserat in vallum, agitabátque vexillum, sed ingenti periculo: nam breuì deturbatus est, hastâ impactâ in caput, multísque sagittis venenatis congestis in eum.

## *Gubernator ab arcis oppugnatione recedit. Pars VI.*

DEnique cum nostri essent ieiuni, & hora iam prima præterijsset; onerati commeatu & armis, fatigatíque de viâ, non tam longâ, quàm arduâ, pugnauerunt instar leonum, & moriendo maiorem incusserunt *Mauris* timorem, quàm si absque sanguine loco potiti fuissent; cùm cernerent eos animo obstinato prosequi pugnam in ea carnificina: alio enim

nomi-

nomine locus ille dignus non erat. Et habeat Rª Vª pro certo, decem millia Hiſpanorum arcem ex ea parte obtinere non potuiſſe, quādo neque credere, neque cogitare quiſquam poteſt, mea opinione, loci aſperitatem difficultatémque, niſi qui præſens oppugnationem conſpexerit. Verum eſt, animos militum ad temeritatem vſque prolapſos; quia cùm eo loci pugna intermitti non poſſet, mutârant mandata *Gubernatoris*, vel perperam intellexerant, anteceſſoribus præcipiendo, vt ad meliorem locum eniterentur, pro eo, quòd receptui canere debuerant, & acclamando victoriam, animandi ſequentis militis causâ.

Qua ratione diu ſumus deluſi. Etſi vera cauſa fuerit, cur *Gubernator* non magis vrgeret receptum, quòd in ſingula momenta expectârit, vt *Nicolaus Gonzalez* ex altera parte ſuperiore hoſtem inuaderet; quia ſciebat eum non plus, quàm trium leucarum itinere abſceſſiſſe à nobis. Sed quia difficillimum iter, & ipſe *Gonzalez* infirmus erat, non potuit eius aduentus expectari vſque ad noctem, aut falſæ acclamationi victoriæ identidem à militibus repetitæ confidi; ideo *Gubernator* loco admodum periculoſo, & expoſito omnibus telis conſiſtens, eos duabus horis bene longis incitauit ad pugnam: ſed videns multos vulnerari & occumbere, maximo periculo ſuo (quod in tali perſona temerarium videatur) vltra

omnes progressus est, ad septum propiùs contemplandum, inter furentes, volantésque globos, lapides, sompitas & bocayas, quibus multi cadebant, & inter hos armiger, quem ad latus habuit, globo per galeam faciémque traiectus. Cúmque ad hunc modum vltra mediam horam consideràsset locum, vidissétque inexpugnabilem ex ea parte, sicut ei paulò antè signifer emeritus dixerat, indignatus illis, qui diutius falsa spe detinere volebant, mandauit signa dari receptui.

In hoc recessu nostro manifestè apparuit *Prouidentia Dei*, & enituit generosa virtus *Gubernatoris*. Nam si hostis erumpens nos inuasisset, in magnas angustias coniecisset, occisis octodecim, vulneratis supra octoginta, reliquis oppidò fessis, & impeditis cum vulneratorum cura, via præcipiti, & periculosioris descensûs. Sed Deus Dominus noster per intercessionem *gloriosi mei Sancti* plena illos cœcitate percussit; prudentia verò *Gubernatoris* effecit, vt occasionem non haberent nos inuadendi. Quia semper infracto animo, magnáque alacritate, quasi nihil accidisset sinistri, strictum manu gladium ferens incedebat, omnes animando, atque hostes detinendo, donec paulatim, bono ordine, omnes aduersa inimicis pectore, pedem referrent, simul nostris tympanis ac tubis resonantibus, donec ad eam domum peruentum est, quam *Adiu-*

tor

*tor Dominus Martinus* munierat.

Cùm iam omnes ibi essemus, conspeximus magnam *Maurorum* multitudinem per planitiem quandam aduentantem , vt præcluderent nobis aditum in regiam. Sed explosis aliquot in eos tormentis confusi, magna celeritate se receperunt in arcem. Volebat hîc *Gubernator* consistere , & expectare impressionem *Nicolai Gonzalez* ; sed cùm videret exiguas copias sibi superstites, decreuit se conferre in prætoriam; quod pari modo resonantibus tympanis fecit. Saucij omnes in vna domo ante fanum collocati, manè verò deportati ad naues; tribus sepultis, qui nocte illa obierant. Multorum sententia erat, *Gubernatorem* debere vsque ad munitionem nostram concedere, vt si fortè ingruerent *Mauri*, securior esset: Verùm is nihil formidinis monstrare sustinuit: atque ita nox illa non sine cura transiuit; nam si erupissent *Mauri*, poterant saltem vulneratis creare periculum. Et verò cognitum est è quibusdam captiuis, illos omnino voluisse descendere infesta manu ad prætoriam, non fecisse tamen, quod existimarent, in conflictu præcedentis diei occubuisse Dominum *Gubernatorem*.

Viso enim corpore *Ducis Martini de Monte*, quòd esset egregiâ formâ, & commodâ staturâ , censuerunt esse *Gubernatoris*. Ante omnia igitur gratias *Mahometo* agendas rati,

pro tam insigni victoria, mutarunt consilium, & ad gratulationem, ceremonias, & compotationes conuersi, cum nostrorum capitibus eam noctem tripudiando consumpserunt. Quas eorum lætitias multæ in arce faces, focíque collucentes comprobauêre. *Gubernator* vt peruênit in Regiam, scripsit *Nicolao Gonzalez* literas, quibus de toto rerũ successu certior fieret, mandauítque, vt si æquiore loco solus cum suis videretur arcem posse obtinere, fortiter eam solus oppugnet, sin', decorè se reciperet in prætoriam, vbi de re tota porrò constituêre velit. Dedit has *Sosacano*, qui mox per aliquem è suis *Mauris* eas deferri curaret: sed cùm ad *Nicolaum* perferri non potuissent, eadem nocte relatæ sunt ad eum, qui præest Epistolis.

## *Hispani arce potiuntur. Pars VII.*

MAnè sequente maturè admodum faciebam sacrum in fano, cùm cœperunt audiri in arce fragores, ac densa tonitrua tormentorum maiorum minorúmque, aperto signo, quòd nostri impressionem fecissent. Fit motus in totis castris, mandat *Gubernator Duci Roderico*, eadem via, qua pridie veneramus, cum omnibus copijs eorum, qui sani erant, redire, vt vires hostium distrahat, non dubitans *Gonzalem* confligere. Ego rem Diuinam peregi, sed non sine magna difficultate, propter

lacrymas

lacrymas mihi ſono tormentorum excuſſas: atque vt eam feceràm pro expiandis noxis militum defunctorum, ità magna contentione rogaui felices animas, vt à Deo impetrarent plenam victoriam, quam pridie præclarè ſuo ſanguine initiauerant.

*Miſſâ* finitâ *Litanias maiores* orauimus, & nos dedimus in preces: inflammabat nos *Dominus Gubernator*, qui nixus genibus, perfuſus lacrymis, & manibus leuatis in cœlum, velut alter *Moyſes*, victoriam ſuis flagitabat à Deo Nondum abierat hora, cùm aduolarunt duo milites, nunciantes *victoriam*, ſtatímque poſt illos *P. Melchior de Vera* cum ſignis hoſti ereptis. Non deſcribo gaudium, quod hinc enatum eſt in prætoria, quando Rª Vª meliùs id animo exprimere poteſt, quàm ego literis. *Gubernator* militem, qui nunciârat *Victoriam*, honorauit vexillo, & per eundem miſit mandata *Nicolao Gonzali.*

Idem *P. Melchior de Vera*, tanquam oculatus teſtis, retulit nobis, quo modo fuerint arce potiti. Toto *die Martis, decimo ſeptimo menſis*, quo nos pugnauimus, fuerunt in itinere, non quòd longum, ſed maximè impeditum, & *Gonzales* in lectica deportandus fuerit, tam æger & languens, vt ſicut ipſe mihi poſtea dixit, in pugna gladio pro Scipione niti, & brachium ſibi à puero ſuſtentari debuerit; quia præ grauedine corporis è genu ſe leuare non

poterat. Occurſarunt eis varij manipuli *Maurorum*, ſed ne ſtrepitus excitaretur, vetuerat *Gonzales* conſerere manus; & ſic toto itinere neminem occiderunt, prẹter *Corralatis* profanum *Popam* in vrigulto latentem.

Noctu caſtra poſuerunt, munieruntque in monte, qui arci imminebat, & ſummo manè diei Mercurij, *Feſto S. Gabrielis glorioſi Archangeli*, & *S. Ioſephi profeſto*, *Gonzales* adhortari milites ad pugnam, quam acriter conſerendi, eam ipſis neceſſitatem iniecit, quòd recedendi locus non eſſet, ſed aut in arcem penetrandum, aut cælum pulchra morte petendum. Ipſi verò incredibili feruore ruere in hoſtem, qui expectabat eos ponè altiſſimam arborem, in media via, ſine omni ſepto, foſsâ, & munimento; quòd non crediderint ea parte ſe inuadendos.

Dederunt aliquamdiu pugnam: ſed cùm Dux *Caſtellus*, qui primum agmen ducebat, cum aliquot militibus conceſſiſſet in alterum latus, compulit eos deſerere ſtationem, & ſic eos inſecutus cum ſuis, abſque difficultate & periculo omni, per ipſas munitiones & ſeptũ, duo valla occupauit cum quatuor magnis tormentis, & ipſum adeo *domicilium Regis*, in quo ſuum theſaurum habebat. Ibi poſuerant plurimos mortuos è ſuis, qui pridie noſtris tormentis occubuerunt, & alios, qui in confuſa & incondita fuga ſe præcipitarant per aliqua

iuga,

iuga, quæ erant in planitie perangusta apud cliuum eiusdem septi, in quo nos volebant excipere, iusto Dei iudicio incidentes in eosdem laqueos, quos nobis tetenderant.

Eodem tempore, quo *Dux Castellus* cum primo agmine septis duobus potitus est, *Dux Bezerra* cum altero incidit in alios *Mauros*, euntes, vt se coniungerent ijs, qui erant in præsidio tertij septi, quod nos pridie oppugnaueramus à fronte. Hos pari facilitate coniecit in fugam, & præcipitium, Dominus euadens eius munitionis, & armaturæ omne genus fistularum & ensium.

Cognati & familia *Corralatis*, cum alijs pluribus captiuis memorauerunt, nocte præcedente illos pedibus subiecisse hierothecam *Sacrosancti Corporis Christi*, conclamantes *non esse quod metuant, quando Deum Christianorum sub pedibus habeant, & nisi homines de cælo cadant in arcem, se in ea cum tantis munimentis, septis, & apparatu militari putâsse tutissimos.* Manè verò cognita nostrorum impressione, *Corralates* suæ coniugi dixit, *malum quidem locum oppugnationi delegisse Hispanos, bono tamen animo sit, eos non secùs depulsurum se, quàm pridie fecerit alijs.* Dixit: sed illa, vt vidit nostros iam penetrare in arcem, suasit ancillis, vt secum potiùs per præcipitia ruant, quàm seruituti nostræ se dedant. Recusarunt illæ tanquam Dominâ sapientiores, & sic in nostram potestatem venerunt:

runt: ſed *Regina* infelix cum filiolo in brachijs ex alto ſe præcipitem dedit, ſepulta ſub arbore, non ſine mœrore omnium noſtrûm; quia fuerat optimæ indolis fæmina, & vt *P. Petrus Gutierez Rector Dapitanæ*, qui nôrat eam, perhibuit, perquàm comem & humanam ſe exhibuerat *Chriſtianis captiuis*, clàm eis cibos mittendo, maximè *Religioſis*, & cum Domino ſuo expoſtulando, cùm eos acerbè habebat, vel occidebat. Poſt occidionem illius, *Rex*, dum eam quærit, maiore globo vulneratus eſt in brachio, & vt mortuam vidit, ignotus profugit per quandam planitiem in exiguum caſtellum, quatuor leucas diſtans ab arce, vbi etiamnum dicitur eſſe ſub cura medentium.

E noſtris (Deo gratias) nec vnus occubuit, ſed vulnerati ſunt ſeptem vel octo; qui tamen bene iam habent. *Dominus Rodericus*, qui ſummo manè cum ſuis ad illos profectus erat, vt ſuprà narraui, in via certior factus de *victoria*, miſſis ad *Gonzalem* copijs, vt ſui faciliùs poſſent reficere vires, ipſe in regiam reuerſus eſt. Poterat arx aliquorum iudicio fame ad deditionem compelli; ſed frugibus, & ſex vel ſeptem millibus modiorum oryzæ (magna apud illos annona) & fluuio limpidiſſimæ aquæ fuit inſtructa. *Nicolaus Gonzales* duobus locis communiuit ſe cum ſuis copijs; in domo Regis, quam ſuæ Maieſtati ſubegerat, *Ducem Bezerram* cum militibus quinquaginta conſtituit,

tuit, ipſe cum reliquis manſit in primario ſepto, in quo erant maiora tormenta, donec reliqua ſepta, domicilia, oryza, ſemináque combuſta, & maiora quatuor tormenta deducta fuêre: quod opus bidui fuit cum admiratione omnium, etiam mechanicæ ac tormentariæ rei peritorum, qui id arbitrabantur fieri non poſſe; ac propterea tubos illos immanes fracturi, vel diſrupturi erant, niſi *Gonzali* propoſitum fuiſſet non abire loco, priuſquam eſſent auecti; inſuper habens, quod *Corralates* dixerat, *Hiſpanos non poſſe deuehere, quæ ipſe enexiſſet in vallum*. Verùm quod ille ſex menſium tempore cum duobus millibus *Maurorum* vix potuerat, noſtri biduo cum quatuor *Indis* fecêre.

## *Quæ victoriam ſecuta ſint.* Pars VIII.

NEgari non poteſt, maximam fuiſſe eius diei lætitiam, ſed eam non modicè diluit *mors* duorum *Patrum Recollectorum*, ſeu *Reformatorum ex Ordine S. Franciſci*, quos *Gubernator* deſiderauerat omni modo eripere manibus cruentis *Maurorum*. Tres enim dum *Chriſtianæ inſtitutioni* in *Cuyo* dant operam, captiuos abduxerant: primus eorũ globis tactus à noſtris militibus eo die, quò ad *promontorium S. Sebaſtiani*, quondam *Iaculorum*, *Nicolaus Gonzales* hoſtem profligauit. Secundum occiderunt *Mauri* eo die, quo occupauimus caſtellum

ſtellum

ſtellum inferiùs; cùm enim fugientibus mulieribus & captiuis in arcem, bonus hic ſeruus Dei, quòd infirmus erat, non poſſet tam properanter incedere, occiderunt eum fuſtibus, & in arbore ſuſpenderunt, vt à nobis è regia conſpici poſſet, ſed quòd longiùs aberat, etſi cogitaremus id eſſe, non tamen poteramus certò affirmare, quòd ipſe eſſet; neque poſtridie reſcire potuimus, quid ipſo fecerint. Tertio Patri in arce præ rabie inflixerunt vulnus lethale eo die, quo illam occupauit *Gonzalez*, è quo poſtridie mortuus eſt in *Meſquita* ante altare; quæ res ei maximo ſolatio fuit, quòd ædem paulò antè *Mahometi* dedicatam, nunc videret conſecratam *Dominæ noſtræ de Bono ſucceſſu.*

Adfuimus morienti quinque *Patres*, qui eramus in arce, & in mari ſepeliuimus, quòd nollemus tam ſacrum corpus relinquere in manibus Barbarorum. Cùm illud inuoluerem linteo, obſtupui multitudinem horribilinm plagarum, quibus illum conciderant, & admiratus ſum maximam huius ſancti Viri patientiam. Mirati ſunt & milites ardorem ipſius; quia cùm inueniſſent eum in quodam angulo arcis ità vulneratum, nihil queſtus eſt, ſed rogauit ante omnia, an aliquis è militibus vulneratus adeſſet, qui cuperet expiare peccata: illíſque reſpondentibus, omitteret eam curam, quando ſecum haberent *Patrem è Societa-*

*cietate*, plurimùm gauisus petijt eum statim aduocari ad se *confessionis* gratiâ. Quam continuò aduolans *P. Melchior de Vera* excepit.

Quando illum deportarunt in prætoriam, ego in nauibus eram apud infirmos, vt autem vesperi sum reuersus ad visendum *Gubernatorem*, narratum est mihi, quomodo hic extremam ei *Religioso* pietatem commonstrârit, suis manibus deponendo eum in lecto, cibum præbendo, abstergendo sanguinem à vulneribus, & animando verbis multa dulcedine ac pietate fluentibus, maximè quando chirurgus manum admouit: nam cùm vestes conglutinatæ hæsissent vulneribus, quæ à sesqui die alligata non erant, magnus dolor fuit in resoluendis, cuius aliquem initio sensum ostendit; à *Gubernatore* reuocata memoria dolorum Christi tantum potuit apud eum, vt quemadmodum *Gubernator* postea retulit, nec verbum, nec aliud quidquam fecerit, quod minus conueniret cum inuita patientia gloriosi cuiusque Martyris.

Equidem confiteor, magis lacrymis oculorum meorum abluisse me vulnerâ eius, quàm vnda fluminis, prouocatum sacra quadam inuidia, quòd tam glorioso fine peregrinationem suã concluserit; & ipse, antequam exspiraret, precatus est, vt Deus me vel simili morte, vel alia magìs acerba pro defensione suæ Legis dignetur. Atque hoc mihi iste vir San-

ctus

ctus promisit, egóque spero per intercessionem ipsius, non quod meritus sim tantum decus, sed quòd compensaturus sit augmentum gratiæ, per vltimas quatuor absolutiones à noxijs operâ meâ sibi, magna mea consolatione, adiectæ. Verè felicissimos *Patres*, qui potuerunt sanguine suo declarare mundo Zelum, & amorem Diuinum, quem clausum habebant in suis pectoribus.

Persoluto sepulturæ officio, manè *diei Veneris*, *20. Martij*, triduo post *victoriam*, ascendimus cum *Gubernatore* in arcem; sed erat tantus fœtor *Maurorum* præcipitatorum è monte, (quamuis multos etiamnum spirantes, & miserabilem animam trahentes arguerint gemitus, vocésque inter illos auditæ) vt sine mora, visa domo regis, in nostra castra statiua simus reuersi. Mandauit verò *Gubernator*, vt præter sacra ornamenta; & arma suæ Maiestati reseruanda, omnia omnino spolia distribuerentur militibus, sibi suísque ne teruntio quidem reseruato; eam abstinentiam nunc adeò raram in *Ducibus* plurimùm collaudarunt, & admirati sunt omnes, & confirmata opinio de illo, quòd animo à quæstu & cupiditate alienissimo sit.

Sanè quod inuênit ac distribuit, plurimum fuit: dicunt, multas cistas plenas & bene ponderosas fuisse. Certum est, totum thesaurum *Corralatis*, & quidquid rapuit per tot an-

nos,

nos illic repertum. Verbo, milites omnes optimè suâ prædâ contenti sunt, multi etiam valde ditati: quòd eis in multam felicitatem proficiat! verè enim plurimò suo merito id eis euênit, quia pugnauerunt multò fortissimè. Sacra vasa & ornamenta, vt *calices, patenæ, hierothecæ, thuribula, chrismateria*, & alia, quæ iam omnia summa cum fide restituta sunt suis locis, magnam arcam repleuerunt: quemadmodum è quatuor onustis ferculis Rª Vª coniecerit, quę portata sunt in supplicatione, ad *Dominicam SS. Trinitatis Manilæ*, in gratiarum actionem instituta à *Gubernatore*.

Vnum id mihi graue accidit, quod ea die, qua in arcem ascendimus, non habuerim tempus quærendi meum *Rosarium*, quod in oppugnatione perdideram, quando placandi Numinis causâ subitò mediam tunicam rupi. Sed Deo postridie consolari me placuit; nam cùm ad regiam redirem ab infirmis militibus *Gubernator* id mihi restituit, qui iam antea sibi notum conspicatus in manibus militis cuiusdam, qui ab arce descendens id inuenerat, nescio quanti ab eo redemit; profectò pretiosum: quia confectum ex palo, ad quem in *Iaponia* cremati sunt *Martyres*, ac totum corpus *gloriosi mei Patris S. Francisci Xauerij Goæ* tetigerat. Ideò tantùm id amo.

Sex dies in distributione spoliorum, destructione & exustione munimentorum *Min-*

*danao* consumpti; & sic *25. Martij*, die *Annuntiatæ salutis* iterum *Samboangam* conuertimus. Quamquã Gubernator noluit vela dare prius, quàm in eodem loco debitas pro tanta *victoria* Diuinæ Maiestati grates persolueret. Instituit ergo *supplicationem solennem*, cum *sanctissimo Sacramento*, à *Mesquita* vsque ad munimenta, in quæ eleuatis ante se *Imaginibus Christi*, & *S. Francisci Xauerij* Patroni expeditionis istius, ipse stolâ candidâ sui ordinis, in qua etiam diuinæ mensæ accubuerat, ornatus incessit: milites fistulas minores, & qui in vallis erant, maiora tormenta globis onerata octies explosêre. Qua re non modò supplicatio celebrior facta, sed etiam à duobus monticulis latentes insidiæ, inscijs nobis, depulsæ. Absconderant enim se aliquod *Mauri* armati, vt obruerent incautos ad naues euntes. Sed illis globis eorum cõplures occisi: nam *Dux Ioãnes Nicolaus* per flumen *Buayæ* reuersus, cùm visere vellet locum, quem eripueramus *Corralati*, multorũ ibi *Maurorum* corpora strata inuênit.

Post supplicationem, fanum & munimenta succensa, bonóque ordine copiæ distributæ in naues. *Magister excubiarum Palominus* cum quinque *Caracois*, ac centum *Hispanis*, & *P. Melchiore de Vera* linguæ gnaro inprimis, missus ad quærendũ *Moncayum*, *Regem Buayæ*, verúmque Dominum Insulæ *Mindanæ* (nam cognatus eius *Cachil Corralates* per tyrannidem

occu-

occupauerat) duodecim leucas ab arce *Mindanaënſi* diſtantem, agendúmq; cum eo de fœderibus pacis, ac tributo ſuę Maieſtati penſando. Poſt duas vel tres horas à noſtro diſceſſu occurrit nobis *Dux Ioannes Nicolaus* cũ *P. Petro Gutierez Rectore Dapitanæ*, quadraginta nauibus, mille ducentos *Indos* volones, & quinquaginta *Hiſpanos* ſuppetias nobis adducens.

Eum *Gubernator* continuò dimiſit ad *Palominum* cum nouis mandatis, vt non obſtante inſtructione priore, curet omni modo ſubijcere *Moncayum*, vel ad arma ponenda compellat. Et ſic proſecuti viam *Dominica Paſſionis Samboangam* peruenimus. Ea munitio *Ducem ſuum Generalem* ouantem, cum copijs ſuis, exploſione tormentorum; & in templo *P. Gregorius Belenius* linteatus hymno, quo *Deum laudamus*, excepit. Ego illum in prætoriam comitatus feſtinaui præcurrere in *Noſodochium*, vt infirmis militibus pararem neceſſaria, quos etſi in *Mindanæ*, & per viam adiuui, fomentis liberaliter ſuppeditatis è penuario *Gubernatoris*; nihilominus tamen ob grauitatem vulnerum, & incommoda nauigiorum, quibus impoſiti erant, & abſentiam chirurgi, qui cùm cymba veheretur, vt omnes ordine viſeret, non continuò ſingulis adeſſe poterat, pro vt opus erat; ac denique defectu gallinarum, quibus excitarent vires, erant admodum debiles, & refectionis egentes.

Conquisiui lectos, quibus imponerentur, & in vno conclaui conclusi, prout *Gubernator* mihi præceperat: collegi etiam quidquid potui illinctuum, & aliorum restituendis infirmis aptorum. Gallinas insuper, quotquot ex *Othonia* allatæ fuerant, ne vnâ quidem sibi reseruatâ, *Gubernator* iussit illis præberi. Istâ copiâ rerum instructus, illos dies noctésque in anima & corpore iuui. Plurimùm autem recreati sunt, quòd eos *Gubernator* ipsemet visitârit, & assidûa sollicitudine nihil passus fuerit eis omnino deesse. Pietas etiam, qua *Confessionis* & *Eucharistiæ Mysteria* susceperunt in *Dominica Palmarum*, valuit non parùm ad sanitatem, qua maior pars iam gaudebat in *Sabbatho Sancto*, quo *Samboangâ*, Deo iuuante, recessimus.

Sanè qui considerauerit, quot & qualibus vulneribus fuerint affecti, haudquaquam negauerit, supra naturæ modum virésque contigisse, vt ex *octoginta*, præter tres prima statim nocte extinctos, tantum duo sint mortui, cùm omnia vulnera essent à iaculis veneno imbutis. Quin etiam glandes, quas in arce reperimus, vndiq; essent admorsæ veneno, cuius vrceum plenum ibi reliquerant. Fateor adiumēto fuisse herbas admodum salubres, quas *Malacâ* attuleram; plus tamē profuit ijs admiscuisse pauxillum de *Reliquijs S. Francisci Xauerij*, quæ iunctâ fiduciâ & pietate laborantium, ac dili-

diligentiâ chirurgi ſanè præclari, mirabilem virtutem oſtenderunt: quemadmodum apparuit in *Duce Maroto*, qui cùm iam totus niger â toxico, animam ageret, quando me accerſiuit *Confeſſionis*, & reliquorum *Sacramentorum* gratiâ; & in *ſignifero Michaële Amezquita*, qui in ore per totam noctem tres ſompitas infixas habuerat, quibus triduo antè in oppugnatione per guttur traiectus erat: clariùs etiam in *Vigilum Præfecto* cohortis eiuſdem, qui iam *extremæ Vnctioni* proximus erat; quia globus ei per ſtomachum tranſierat, ac cibus omnis hærebat in vulnere: & alij complures, qui in *Mindana* conclamati erant, iam ſani valentéſque *Manilam* proficiſcuntur. Soli duo ſigniferi, *Romerus* & *Machuca Samboangæ* mortui ſunt è vulnere, quod eis haſtâ inflixerant *Mauri*, capta iam arce. Sed ambo ſponte ruerunt in mortem, quia nihil medicamenti voluerunt admittere.

## *Samboangæ quid actum ſit. Pars IX.*

EXpectabat interim Dominus *Gubernator Palominum*, & *Ioannem Nicolaum*, reduces è *Buaya*, & loco quietis ac reſpirationis ab exantlatis laboribus, ſuis ipſe manibus cæpit vnà cum militibus fodere alucum flumini aquæ dulcis, quâ ſolâ carebat hactenus ea munitio; iámque, Deo ſint laudes, nunciatum eſt *Samboangâ*, opus illud è ſententia eſſe per-

 fectum.

fectum. Sed ante omnia *Gubernator* instituit nouum festum *Sanctissimæ Eucharistiæ*, ad gratias iterum agendas pro *Victoria*; vt non pietate minus, quàm fortitudine ac prudentiâ militari, magno *Iudæ Machabæo* se conformaret.

Postridie pro *defunctis militibus* fieri voluit piaculares inferias, magno omnium gaudio, cui sola illa infelicitas interuenit, quòd mẽ nacti sint ea die concionatorem. Curauit quoque *Gubernator* voce præconis recitari librarium congiariorum, munium, dignitatũ, quibus ornabat omnes, qui in hac expeditione vulnerati fuissent. Qua liberalitate omniũ militum animos accepit mancipio, vt iam nihil aliud haberent in ore, quàm sui Imperatoris facultatem, pietatem & munificentiã; quin etiam nautica turba negauit, se ampliùs postulaturam missionem, & facultatem proficiscendi in *nouam Hispaniam*, ne perderet occasionem nouæ expeditionis, quæ cogitabatur in annum sequentem.

Inter hæc dies aliquot lapsi, donec *die Mercurij Sancto* noster exercitus, & postridie cum tribus *Caracois* frater Regis *Buayæ* legatus aduênit, acturus cum *Gubernatore* de sanctionẽ fæderum à *Palomino* iunctorum: quia hic posteriora mandata non potuit exequi, propterea quòd *Ioannes Nicolaus* tardiùs ad eum venisset, *Moncayo* omnibus, quæ postulârat, iam sine tergiuersatione assenso, mente adeò prona,

na,

na, vt suis edixerit, se in *Hispaniæ Regis amicitiam ac tributa concedere*; *qui nolit, sua ditione excedat.*

*Legatus* igitur nomine *Regis* germani sui promisit *Gubernatori*, omnes *Christianos captiuos* dimissurum; *tributa* suæ Maiestati pensurum *Patres Societatis* accepturum ad publicè docendam suos subditos *legem Christianam*; *Hispanis* aliquam munitionem sui *Regni* traditurum, vt eam præsidio teneant, eósque habiturum vt *fratres*, *amicos* denique & *inimicos* existimaturum eosdem, qui essent *Hispanis*; ac proinde omnem operam daturum, vt *Corralatem* capiat, seu viuum seu mortuum, ac tradat *Gubernatori*.

Excepit hanc legationem *Gubernator* magna cum Maiestate in sella residens, exercitûs nostri parte illustriore, splendidéque amictâ stipatus. *Legatus* in eodem aulæo humi assedit, suspiciens magnificentiam & elegantiam *Gubernatoris* & militum eius: qui *Præfecto munitionis* præcepit, *legatum* suæ domi excipere, & in vicem ab eo missorum sibi munerum, præter aliquas nuces *Indicas* & *Gallinas*, ei Xenio dedit volumen elegantissimi pãni bombycini.

Sed pro *Sangleye* captiuo, quem nomine fratris dono miserat, aiebat nihil se reddere, quòd ille non esset subditus *Regi Hispaniæ*: cúmque is non desisteret aliquid muneris petere pro *Rege fratre suo*, respondit *Gubernator*,

*Moncayum* adhuc inimicum fuisse, neque tale quid meritum: sed incipiat exhibere amicitiæ signa, confestim remittendo captiuos, & alia, quæ promiserat, tum enimuerò confestim quoque suæ se munificentiæ argumenta daturum. Pro corpore *Corralatis* duo millia numûm aureorum annumeraturum, pro viuo alterum tantum. Quod ille libentissimè accepit, quia tanta auri cupiditate flagrat gens illa, vt pro lucro neque suos parentes dubitent interficere. Quare non multis diebus *Corralates* prouiuet.

## *Hispani Samboangâ discedunt. Pars X.*

Sabbatho Sancto manè *Gubernatore* iam nauem conscensuro, venit *Legatus*, vt *literas* & *leges pacis* præsente se confirmatas acciperet: quem cùm supremi honoris ergò *Gubernator* amplexus esset, plurimùm eo delectatus, recepit se intra quatuor *Lunas* (ita ipsi menses distinguunt) *Manilæ* futurum. Quod summo mihi solatio est; quia sic Vª Rª occasionem habitura est operas in tam spatiosum agrum mittendi. Continuò intonuêre omnia tormenta è vallis præsidiarijs faustam nauigationem nobis precatis, militésque nostri læto fistularum suarum fragore *Vale* ipsis dixêre. Et nos quidem vela *Manilam*, *Legatus Buayam* direxit. Discesserunt pariter *Capitanei Ioannes Nicolaus*, & *Ioannes de Leone* cum centum *Hispano-*

*ſpanorum*, & mille *Indorum* cohorte: quippe *Gubernator* eis præceperat *Legatum Buaya* vſque in ſuas terras deducere, & poſtea totam Inſulam *Mindanam* obire, *Dapitanem* vſque omnia caſtella Regionésque vaſtando, quæ abnuerent, armis noſtris parêre. Comitati ſunt à ſacris futuri *P. Rector Dapitanus*, & *Auguſtinianus ille*, quem ſupra memoraui, pro Confeſſario *Pampangorum* veniſſe.

Eodem die *Samboangâ* diſceſſit in *Baſilanam* Inſulam *P P. Gregorius Belenius* cum *Capitaneo Xinero*, ob cauſam, quam mox dicam: Hæc Inſula è regione noſtræ munitionis eſt ſita, diſtátque leucis duabus. Tributo pendit ad quatuor millia *Regi Ioli*, ſemper tamen maluiſſet ſuæ Maieſtati. Nunc demum ad *Gubernatorem Samboangam* venerant Principes Inſulæ, daturi ſe in fidem & obſequia. Recepit eos *Gubernator*, & mandauit munitionis Præfecto, tributa ab eis accipiat, & vim *Iolenſium* defendat, quoad anno ſequente Inſulam *Iolon* debellet. Quod fædus vbi fama vulgauit, ducenti primores *Iolenſium* cum vxoribus, liberis, omnibúsque ſuis fortunis commigrauerunt in vicinam Inſulam, animo *Samboangam* concedendi, & ſubdendi ſe noſtris imperijs, ſi tamen ita *Gubernatori* placere viderent.

Hac de cauſa *P. Belenius* miſſus eſt cum *Capitaneo*, vt ſit illis præſidio, tutóſque ad munitionem perducat. Vnde confido in Deum, iam

optimè instructos, & ad sacrum vitæ fontem idoneos fore. Quia vero Gubernator non habuit *Patres*, quos in *Basilanam* ablegет, scripsit *P. Francisco Angelo*, vt vi patentium, quas habet à Rª Vª ex Insula *Nigrorum* confestim *Samboangam* aduolet, vbi Præfectus munitionis instruat eum præsidio militari, & omnibus necessarijs ad promulgationem *Euangelij* per illam Insulam; in qua iam versatur maximo cum animi sui gaudio, prout mihi *P. Rector Othoniæ* significauit: quia Missio *Mindanaënsis* præcipua ipsi causa fuit ex *Hispania* proficiscendi in *Philippinas*. Verùm solus ille toti Insulæ iuuandæ non est. Accedit, quod *Samboangæ* duo tantùm *Patres* morentur, *P. Melchior de Vera*, qui propter suas continuas infirmitates affatim occupatus est curâ munitionis, in qua *Gubernator* eum constituit, tanquam architecturâ inprimis insignem: & *P. Gregorius Belenius* præsidio Diuinis procurando præfectus: vt adeò plurima Castella *Maurorum* circa munitionem nostram, vt *Caldera*, & alia, non habeant, à quo instituantur.

*Rex* etiam *Sibuguey*, qui tractus est longè fertilior & opulentior, quàm *Pampanga*, dum in *Mindanao* essemus, ipsemet *Samboangam* venit ad munitionis *Præfectum, pacem*, & *Patres* oraturus: & iam filius eius *Lerrenate* cum classe ad fidem dandam appulit *Manilæ*. In hunc modum quotidie subsequentur præcipui

pui quique Dynaſtæ, poſteaquam conſpicati ſunt armis *Hiſpanis Corralatem* ſubactum, qui præcipuus harum Inſularum *Rex* fuerat, ac cæteros *Reges* minores per vim ſub iuga ac tributa pertraxerat. Sed & *Rex Ioli* miſit *Datum Achenem*, neceſſarium ſuum, ducémque inter *Mauros* facilè præſtantiſſimum, cum literis ad *Gubernatorem*, ſanciendi fæderis causâ; de quo vxor eius iam cum noſtris Ducibus egerat anno priore, veniam orans, quòd non ipſe veniret: quia expectaret exercitum educendum à ſe contra *Regem Burney*, ſocium *Camuconum*, hoſtium ſuorum.

Videat, amabò, Rª Vª quantum ſe operis offerat in *Mindanao*, & quanta ſit operarum egeſtas; vt vbi mea opinione pauci eſſent quadraginta, non adſint plures, quàm duo. Certáque coniectura eſt, hanc *Miſſionem* ex illuſtrioribus futuram, quæ poſſint optari, tam luculenta promiſſio eſt maximi fructûs, & ſpes *Martyrum* nobiliſſimorum. Denique ſatis eſt dicere, *Sanctum Apoſtolum Indiæ Franciſcum Xauerium* primum fuiſſe, qui *Euangelium* ibi prædicauit, vt ex *Bulla Canonizationis* apparet. Confido in miſericordia Dei, nuntio tam glorioſæ & optatæ victoriæ, captæque tantæ Inſulæ, commotum iri cor *noſtri Regis Catholici*, & eorum, quos de rebus *Indicis* conſulit, vt mittant hoc anno multos operarios, ad meſſem tam glorioſam & vberem.

*Hi-*

*Hispani Manilam redeunt. Pars XI.*

ATque hæc hactenus de nostra profectione *Mindanaënsi*: quod ad reditum in *Manilam* attinet, longus ille fuit ac periculi plenus, multam nobis patientiæ segetem offerens. Ad quamcunque Insulam tendebamus, cogebamur totam circumire; quamcunque in partem nos vertebamus, continuò ventus nobis contrarius inferebatur; quin per tres quatuórue inter se pugnantes apud Insulas *Nigrorum*, *Mindorum*, & *Marinducam* incessimus; vt non sine miraculo omnes peculiari tutela *S. Francisci Xauerij* euaserimus incolumes, maximè ex ijs, quæ in Insula *Mindanao* nobis acciderunt: etenim & fracta nobis malus est, & procella supra puppim nostram ingruit adeò turbida, nouáque vectoribus, vt cùm à longè illam supra aquas intorqueri viderent, continuò cum clamore petierint, vt sacris eam contestationibus compescerem: quod etiam feci.

Nec sanè aliud esse potuit, quàm tartarea machinatio, magno *Mindanai* diabolo sensibus modis demonstrante, quàm acerbè sentiat à *Gubernatore* tam potenter se expugnatum, eiectúmque sua sede fuisse. Verùm si oculis conspicua fuerunt studia teterrimi Inimici, in excitandis periculis; multo clariùs & apertiùs ab illis protecti sumus Dei, & *Sancti nostri* præsidio: vt quando nos eduxit è breui-

bus

bus oræ *Manilanæ*, in quæ miſerandum in modum eramus impacti; quando etiam piraticam, quæ ſe oſtendebat, ipſa non ſentiente, euaſimus: & aliàs, quæ, ne Ræ Væ ſim grauis, prætereo.

Bis totâ viâ refocillationis causâ, propter infirmos, exſcenſum è nauibus fecimus: vnum in *Iloilo*, vbi *noſtri Patres* inſtruxerunt nos vitulis caſeo, gallinis: alterum in *Pinaia*, vbi ſupremo magiſtratu fungebatur *Franciſcus de Frias*. Denique cùm venti nobis omnino contrarij eſſent, & *Gubernator* plurima pertuliſſet in hoc itinere, præ quibus nihili ducenda forent omnia, quæ in obſequijs *Regis* olim ſuſtinuerat in *Flandria*, & alijs locis, prout ipſemet affirmabat; conſtituit exſcendere cum *Petro* ſobrino ſuo, & *Laurentio Vgualdo* infirmis, & chirurgi manu egentibus. Atque ita biduum terrâ confecimus, vſque ad lacum; inde *Manilam decimo nono Maij* peruénimus.

Ego in *S. Michaëlis* conceſſi, ægroti *Manilam*, *Gubernator* eadem nocte *Cauitam*, vbi decreuit expectare, quoad conueniret totus exercitus. Deo fauente factum, vt quatriduo omnes conuenerint, & ſic *Dominico die* illâ pompâ & alacritate ciuitatē ingreſſus eſt, quā Ra Va conſpexit: & neſcio, an multi obſeruarint, quod eo die contigit. Nam ex tota claſſe ſola *Gabrielis Ninno de Tabora* nauis deſiderata eſt, qua maiora quædam ab hoſte captator-

tormenta vehebantur. At cùm iam *Gubernator* ex vna parte ciuitati proximus esset, ex altera etiam ille accessit, Deo monstrante, quàm peculiari prouidentia curaret, vt tota classis portum salua teneret, plenáque esset gloria, ac lætitia, Diuino munere concessi, triumphalis ingressus in vrbem; tam mirifice coniunctis omnibus, vt ne de spolijs quidem defuerit quidquam.

Æternùm extollatur, laudetúrque sanctissimum Dei Nomen, qui fortitudine, studio, ac pietate clarissimi viri dignatus est hoc tempore opem afferre his insulis, & vlcisci superbiam *Saracenorum*, qua cum *tribus Patribus Recollectis*, plurimísque *sacris vasis* & *ornamentis* iactauerant, se ipsum *Deum Christianorum* cepisse, vt iam suo spurcissimo *Mahometi* non amplius possit resistere. Rei experientia docuit, diuinum fuisse vaticinium sanctæ illius ancillæ Dei, quæ per *Domini Gubernatoris* in has Insulas aduentum, efficax malis remediũ, & occupationem *Mindanæ* prædixit. Deus ipsi proroget vitam & sanitatem, vt perficere possit, quæ tanto animo & successu incepit, pro honore suæ Diuinæ Maiestatis, bono Insularum istarum, & gloriâ nostrorum armorum, quæ tot infortunijs erat multùm depressa.

*Hæc sunt, quæ R. Vª me perscripturum promiseram de* Mindanensi *nostra expeditione, miraculo-*

*culosa æquè ac gloriosa. Superest id vnum, vt R^a V^a multos mittat statim in operas, ad* S. Euangelij *sementem faciendam, imò & colligendam in multis istius Insulæ partibus: adeò maturam in meo discessu reliqui. Solùm dolet mihi defectus hominum operariorum in hac* Prouincia Philippina, *quæ tot Missiones & populos procurandos habet, & nunc maximè, quando aperitur tantum ostium, vt profectò nisi vocarer diuinitus ad aliud Regnum, in magna felicitate reponerem, si possem cum voluntate superiorum operarij huius* Mindanensis *regni cultura.*

*Nihilominus confido in intercessione* gloriosissimi Sancti mei P. Francisci Xauerij, *sicut ipse* primus *operam dedit huic Insulæ, & nunc expeditionis huius* dux ac patronus *fuit, nõ cessaturum prosequi opus, cui, vt nouimus, tantopere studuit, & sic omnia moderaturum, vt his annis multi ex* Europa *veniant ad explendum, quod eius operi deest in gloriosa hac Missione: ad quam quia non merui eligi, supplico R^a V^a saltem Sanctis suis sacrificijs & orationibus me adiuuet, vt ab eodem* Sancto *obtineam, pro ea parte, quæ in huius insulæ institutione ad me spectaret, in alia quapiam insula, & expeditione sua spirituali, inter operarios eius admitti: vt ea ratione dum omnes operam tribuimus Prouincijs, propriè ad hunc magnum* Orientis Apostolum *pertinentibus, possimus pariter gaudere peculiari eius præsidio, & ope in hac vita, & inter eius clientes atq; dilectos admitti in altera: quod*

per

*per infinitam bonitatem suam nobis Deus concedat. Taytai. 2. Iunij. 1637.*

*Humillimus seruus & obediens*
*filius R^{tiæ} V^{æ}*
*Marcellus Franciscus Mastrillus.*

---

## Capvt XX.

### *Declarantur nonnulla ex præmissa Marcelli Epistola.*

HÆc est admirandæ occupationis *Mindanaënsis* historia, quam seruus Dei, *Marcellus* ita descripsit, vt suas in ea virtutes insignes partim obtegeret, partim eleuaret, quantum poterat, propter eximiam humilitatem, & vilipensionem rerum suarum. Sed eas contrà vulgârunt, multúmque dilaudârunt narrationes ab alijs factæ. Visum est ergo declarare nonnullas, maximè quas in *Epistola sua* perstrinxit.

Dicit, à quodam auditas esse voces diaboli quiritantis. Ipsemet *P. Marcellus* audiuit, cùm se in dumos orationis ac disciplinæ causâ reciperet, quam nullo die intermittebat. Inter hæc pia studia lamentabiles ac rabiosas nefandi voces audiuit: *Quidnam huc venis? quid me insequeris? quis te huc attulit sacrilege? millies tibi malè sit Marcelle. Ego, ego te vitâ deturbabo, & sic finem dabimus. Manila* ante hanc expeditionem

ditionem iam illius feruori ſtygius augator illuſerat, cùm flagello in ſeipſum Pater ſæuiret: & quamuis malè nonnunquam eum excepiſſet, iam tamen non potuit diutius premere animi ſui dolorem & plagas, ſed altis vocibus confeſſus eſt, quantum ſuis ipſum flagellis *Marcellus* torreret. Ijſdem exercitationibus operam nauabat, cùm in illa domicilia ſe conferret, quæ ſcribit poſtea cremata fuiſſe.

Cùm autem memorat, ſe, durante conflictu, *vexillo Crucifixi* tradito militi cuidam, cum feruore illatum in acies, egiſſe, quod ſpiritus Diuinus ſuggeſſit; aliud non fuit, quàm quòd ruptâ tunicâ, cingulo tenus nudârit, & atrociter conciderit ſeipſum flagello, vt largo cruore manaret, alta voce Deum inclamans, ne propter ipſius peccata vellet noſtris deeſſe, ſimúlque multorum ſuppliciorum *votis* iram Dei ſuperare contendens; pollicitus *quotannis centum diſciplinas* vltra eas, quas conſueuerat. In hunc modum pleriſque diebus *bis térue* ſuum corpus ea caſtigatione tam ſæua vrgebat, & querelas illas, de quibus memorauimus, exprimebat hoſti inferno: cui longè profundiùs inurebat flagella, quàm ſibi. Sui ergo ſanguinis impendio ſeruus Dei obtinuit, vt & eodem die res *Hiſpanorum* meliori loco eſſe inceperint, & altero *victoria* cõſecuta ſit.

Neque alius fuit, quàm ipſe *Marcellus*, cui ſcribit ſecretò admodum innotuiſſe, quod ea

pila, quæ inter *Imagines Crucifixi* & *S. Francisci Xauerij* innoxia decidit, à malo dæmone directa fuerit in caput *Gubernatoris*, post *imagines* illas tum consistentis, eundémque certò interemptura, absque *S. Francisci Xauerij* tutela fuisset. Ipsimet enim, dum sacris operabatur, tam clarè Deus id manifestauit, tantámq; simul hilaritatem affudit, vt ægrè se continuerit, ne rueret in *Gubernatoris* amplexus. Consimili modo pluribus adscripsit, quæ solus ipse aut fecit, aut faciendi auctor fuit.

Nam ipse ignem subdidit superstitiosis sagittis, rupique consecratæ dæmonio, & *Mahometi* eius impuro prophetæ. Ipse *crucis trophæa* eodem loco erexit, totum IESV Christo initians. Ipse pacauit mare toties conturbatum à dæmone, vt classem, & in ea *Patrem* vndis inuolueret. Ipse in periculis primus, in quiete vltimus, ipse solatio fuit omnibus, magísque ad pugnam accendit milites, quàm Duces eorum. Ipse effecit, ne ex vulneribus quisquam eorum extingueretur, qui curam admitterent: quod tamen chirurgi laudibus conatus est occultare. Nam etsi peritia illius aliqua fuit, *Marcello* tamen tribuenda est sanitas, illorum, qui mirificè illam impetrauit à Deo. Siquidem ipse chirurgus confessus est, prius quàm ijs curandis appelleret animum, Virum Dei, cùm suas sibi manus arripuisset, beneque precatus ipsis fuisset, conuersum ad-

sau-

ſaucios iuſſiſſe eos bono animo eſſe, quandoquidem nullus eorum ſit moriturus, queis manus illæ medicamentum admouerint.

Atque ita factum precibus eius, & ope *S. Xauerij*, vt ſanati ſint omnes, pręter vnum, cui, quòd caput medium per tempora globo traiectum erat, medicinæ faciendæ locus non erat, ac duos vel tres, qui nullum medicamen voluerunt admittere. Denique *Marcellus* ille fuit, qui totum exercitum pietate accendit. *Nauis*, qua *Gubernator* vehebatur hoc itinere, vulgò dicebatur in *domicilium Religioſorum Nouitiorum* conuerſa, ita eam ipſe continuis exhortationibus animabat in exercitia pietatis. Quotidie *Regina Mater miſericordiæ* magna ſolennitate ſalutabatur ſub noctem, ac *P. Marcellus* Deo commendabat pios manes vectoribus, pulſu æris, exemplo *Xaueriano*, ad hoc excitatis, vt ſuis eos votis iuuarent.

Meminit quoque in *Epiſtola* ſua triumphi quo *Gubernator Manilam* intrauit: qui quia pij *Patris* orationum trophæa ferebat, non videtur hîc prætermittendus. Agmen triumphale duxit *Nicolaus Gonzales* cum ſua cohorte, quam circumdabant alij multi cum armis *Mindanæ*, in conflictu nauali adeptis. Secuti hos nauicularij, qui bini incedentes medios habebant *Indos*, *Sangleyes*, *Chinas*, & alios è populis amicis, quos *Maurus* captiuos abduxerat. *Indi Indæq;* quòd *Roſaria* manibus fer-

rent, intimo ſenſu perculêre ſpectantes. Poſt hos in medio cohortis eiuſdem ducti *captiui Mauri Mauræq; Mindanicæ*, imbellis quidem ſexus, & ætas libera, viri autem onerati catenis. Proxima his manus geſtantium arma captiua, peltas, clypeos, haſtas, tubáſque ſucceſſit legio *Pampangorũ*, oriundroum ex Prouincia, quæ *Pampanga* vocatur, fertili & opulenta: decem leucas à ciuitate *Manilâ* diſtat. Gens eſt animoſa fidáque *Catholicæ Religioni* perquam addicta, dexterè arma tractat, militátque inter *Hiſpanos*, in omnihus ſiue præſidijs, ſiue expeditionibus ſtrenua.

Hos inſecuti ſunt currus tormentis ab hoſte captis onuſti, inter quos fiſtulatores incedebant; vtrinque tubi curules cum ſuis cubilibus. In quibus videre erat *falcones*, *colubros*, aliáque diuerſi generis & nominis tormenta, quæ funibus trahebantur ab hominibus; vltimum & maximum omnium à quatuor equis, quod libratores ſtipabant. His proximi fuerunt *ſex iuuenes* cum totidem *vexillis Regis Cachilis Corralatis*; eorum veſtigia preſſit *Gubernator Sebaſtianus Hurtado*, in equo conſpicuus, veſte minimè ſuperba, vt qui virtute ac fortitudine animi decoratum ſe exhibere malebat: iuxta eum armiger cum eius galeâ, & candidâ criſtâ.

Agmen clauſit cohors prætoria lætitijs & amœnitate circumfluens. In ciuitate *arcus triumpha-*

*umphales* erecti, tormentorum explosione salutati *victores*, aliáque gratulantium officia certatim exhibita, incredibili gaudio multarum nationum, quæ ad spectaculum tam exoptati omnibus *triumphi* adeò frequentes cõfluxerant, vt ægrè per compita transitus esset: inter quos etsi *P. Marcellus* non visebatur, suâ ipsum modestiâ & religione abdente, in omnium tamen ore ferebatur nomen ipsius, erátque *Christianis* venerationi, admirationi *Barbaris*, tanquam Principis causæ tam *insignis victoriæ*.

---

## CAPVT XXI

### *Eximiæ P. Marcelli Virtutes.*

INter admirandos huius expeditionis successus, & *Mindanæ Victoriam*, multùm auxit in *Philippinis* opinio Sanctitatis, quam in Dei seruo *Marcello* tùm ex operibus ab eo supra naturæ modum patratis, cùm ex præstantissimarum *virtutum* splendore notabant. Omniũ enim inusitata quædam continuò edebat exempla; quandoquidem ad *messem album & maturum* iam erat hoc frumentum Christi, quẽadmodum *S. IGNATIVS Martyr* dicebat, de suo *Martyrio* loquens: & multa de ipsis mentio erat, omnibus passim inter colloquia memorantibus, quæ de illo à familiaribus suis audita dictáue fuissent. Omnes eum

pro sancto & consummatæ perfectionis Viro habebant: & erat profectò cumulatè perfectus; maximè hoc tempore, quo nihil ei supererat, nisi carceres & carnificina *Iaponiæ*, eius *virtutes* iam attigerant culmen. Ideo visum est aliquid memorare de illis priùs, quàm progrediamur ad narrationem eius acerbi *Martyrij*, vt appareat, quàm plena & apta falci fuerit hæc spica.

Initium ab eius *Paupertate* ducamus, quam maximè conspicuos esse conuenit *Euangelij Prædicatores*. Admirabantur omnes extremam, planéque *Apostolicam paupertatem*, quam hic Dei seruus profitebatur. Nihil omnino admittebat noui vestitûs: calceos eósdem gestauit totis quatuor annis, refectos identidem. Pro se quærebat semper deteriora vilioráque in veste, cibo, & cubitu. Adduci non potuit, vt nouam tunicam indueret, vtcunque vetustam haberet. Expeditionem in *Mindanaum* cum centone suscepit, & cùm miserè laceratos calceos haberet, neque etiam meliorum ibi foret occasio, ipsemet subulâ & funiculo eos resarsit, veteramentarij sutoris officio nihil sibi ratus decedere. Atque hoc modo factum est, vt eisdem calceamentis tantis itineribus vteretur vsq; ad ingressum *Iaponiæ*, quibus *Neapoli* quondam discesserat.

Nemo illi persuasit, vt vnquam dormiret in lecto, vel cum stragulo, sed in storea vel stra-

men-

mento ipsi quies erat, pro puluino capitis Breuiarium inuolutum palliolo. Cùm ei quondam offerretur alba interula, diu renuit acceptare, ac postea reliquit abditam in conclaui vnà cum aliquot numis, quos aliqui fuerant ei largiti. Nihil quod commodum sibi foret vnquam antè sibi procurauit, imò neque illud, quod necessitas erat postulatura: pallium, quo vtebatur, peruetus fuit, ac depile prorsus, neque suffultum Nullam vestem interiorem admisit frigori defendendo, nisi si accipere cogeretur; tum autem eâ non vtebatur ipse, sed alium donabat. Domi cùm inter *nostros* esset, munia viliora sibi deposcebat, qualia sunt in culina, & ministerio ægrotantium.

Ea die, qua *tertius annus* complebatur à reddita sibi per *S. Xauerium* vita, inter cœnandum de suis defectibus, ad mediam horam, singulari spiritûs ardore, grauissimè obiurgauit seipsum, non sinè præsentium admiratione & incremento. Laudari ferebat ægriùs, quàm si confectus esset quorumlibet cruciatu dolorum: ideo dicebat, nullam sibi tetriorem diem totâ vitâ suâ obortam, nulla se propiùs neci datum fuisse, quàm cùm in *Collegio Matritano*, dum in Festo *S. Francisci Xauerij* sacrum facit, quòd effugiendi locus non esset, coactus fuit audire *Augustinum de Castro*, *Concionatorem Regis* in suas laudes descendere.

*Suauitate* cum *socijs* vtebatur eximia, non-

tantùm nullâ quendam afficiendo *molestiâ*, sed multam omnibus, quandocunque egerent, opem ferendo. Suggerebat ipse, quæ illis opus essent, adiuuabátque in omnibus rebus, eorum labores recipiendo in se. Atque hæc tali dexteritate, ac dissimulatione tegebat, ac si nihil ipse quidquam satageret, dum ab alijs pleraque, charitate suíque victoria multiplici, procurabat.

Contigit in itinere quopiam, equum vni deesse; illicò se pater coniecit in pedes, quibus multas leucas confecit, vt præ lassitudine malè affectus ad locum destinatum peruenerit. a. Communis omnium seruus erat: cibo vescebatur, qui superfuerat alijs, pro gratia reputans, quòd admitteretur saltem ad reliquias. Apud infirmos assiduus erat, opportunis alloquijs eos recreans, & officia exhibens humillima quæque, tam nulla habita ratione suiipsius, vt opus esset, eum ad pauxillum quietis capessendum compelli; quod *Malacæ* præcipuè factitauit. Ipsemet operosus in culina cibos eis præparabat, ac præbebat magna charitate. Si quis in periculo esset, non recedebat ab eius latere, ne reficiendi quidem corporis causâ, subridendo aliorum adhortationes eludens: *non ideo moriar,* inquiebat, *etiamsi modò non comedam, vel dormiam: Deus me conseruabit.*

Omnes tanta dulcedine consolabatur, vt vide-

viderentur ſibi videre & audire Angelum quempiam. Cùm *Noſodochium* ingrederetur, multis diebus non amplius inde recedebat, niſi fortè ad procurandum aliquid refocillandis ægrotis. Ita etiam à vulneratis in *Mindana* militibùs per quindecim dies nunquam digreſſus eſt, niſi ad comparandas eis interdum gallinas.

Vt plurimùm *ieiunauit* in pane & aquâ, virtuti tegendæ aliquas infirmitates prætendens, vt abſtinentiæ ſuæ medicinæ ſpeciem daret. Peruigilia *Deiparæ Virginis* ſine omni cibo peregit. Corpus verberibus caſtigauit ſanè denſis & crudelibus. Dixerat ei quidam, condolere ſe *Patribus eius Collegij*, in quo ipſe verſabatur, quòd eius diuerberationibus impedirentur à ſomnis. Haud aliud effecit faceta monitio, quàm vt locum remotiorem ab arbitris ad id opus exquireret, ibíque liberiùs ad effundendum pro Chriſto ſanguinem ſe conſuefaceret: quod cruenta flagella ſtrenuè ab illo fieri docuêre.

Non poterat orcus id ferre; occludebat igitur locum, quò *Pater* ad id operis ſe conferre ſolebat; aliàs eum ſtrepitu & fragore concitato abſterrere conabatur; ſicut etiam alijs temporibus multùm ei moleſtus erat, obambulando cubiculum eius, aut cachinnos edendo in vicinia, aut etiam plagas inferendo, & omnibus modis vexando terrâ marique. Cin-

gulis asperrimis vtebatur è ferro, crucibus item præacutis, & alijs ingeniosè inuentis, ad exsaturandam famem patiendi pro Christo.

Rarâ quadam gratiâ oris, & *modestiâ* fuit, è qua maius aliquid humana conditione reluxit; vt eum qui antea nunquam vidisset, nullo negotio inter multos agnosceret. Scrupulosus in agendo non fuit, & cùm Diuini obsequij referebat colloqui cum fæminis, magno id exemplo ac disciplinâ agebat; cætera earum colloquia studiosè declinans. Quare cùm infirmis periclitantibus adstaret, & aduerterent fortè matronæ, per eam occasionem captantes aliquem animi sui fructum è sanctis eius sermonibus, ipse vel orare, vel aliud negotium quærere, quo se expediret ab illis.

*Manilæ* multæ principes fæminæ expetierunt eius colloquium, sed ipse excusabat earum amplitudinem ac dignitatem, propter quam etiam intermittebat eas inuisere. Atq; istâ cautelâ seruabat *Angelicæ Castimoniæ suæ* nitorem in corpore & animo, sine omni prauarum cupidinum cogitatione sensúque: sicuti perhibuit ei, cui latebras animi sui postremò detexit, antequam in *Iaponiam* solueret. Quam *confessionem* quia vltimam in vita sua fore dicebat, magna cum pietate peregit; multùm admirante *Confessario* illum nitorem animæ, illam rectitudinem ac sinceritatem consiliorum studiorúmque, illam actionum perfectio-

fectionem abſolutam, vt in omnem ei vitam ſuam indè exempla, pudoríſque argumenta ſuppeterent.

Deo ad aram operabatur magna cum *pietate* & lacrymis; preces *Canonicas*, cùm poterat, coràm *Diuino Sacramento* perſoluebat è genibus. Quoties licuit, pro animabus carcere piaculari attentis litabat: earum enim ſtudioſiſſimus erat, neq; raro vtebatur alloquio. Quin earum liberationi omnes ſuas actiones obtulerat, tota illarum æſtimatione & virtute ſatisfaciendi ipſis tranſcripta; vtì etiam eorum omnium, quæcunque pro ſe vitâ functo, à ſocijs & amicis erant præſtanda; nouo charitatis inuento.

Quotidianum quoque penſum pſalmodiæ officio defunctorum auctabat. Horum ſolatijs omnia ſua opera, imò & ſacra precéſque pro ſe defuncto peragendas donarat. Omnia verò ſuperauit flagrantiſſimus *zelus* illius, ac ſtudium, quo ſe totum impendit animorum augmentis, omnes adhortando ad perfecta Dei obſequia, & eos, quibuſcum agebat, inflammando ſermonibus ignitis, varias ad hoc ipſum exercitationes pietatis perquam ſoler-ter excogitans. Qualia multa fecit in *Italia*, vbi multis vitam *Religioſam* perſuaſit, varias *Congregationes* inſtituit; *Genuæ* quondam ſua exhortatione auditores ità commouit, vt continuò *flagellis* arreptis acriter in ſua peccata

animaduer-

animaduerterent. Denique in omni virtute absolutus & consummatus fuit, tanquam vir *Apostolicus*, & idoneus Christi seruus, dignus *Martyrio*.

a. *Processu Macaënsi. pag. 4.*

## Capvt XXII.

### *De Dono Prophetiæ, Sanitatum, & Miraculorum, quo claruit P. Marcellus.*

HÆ tantæ *virtutes* plurium bonorum insignium *P. Marcello* causa fuerunt, quibus diuinitus est exornatus. Etenim permulta prædixit *futura*, priusquam euenirent, maximè de suo *Martyrio*. Dixit se in *Iaponia prædicaturum Religionem Christianam non concionando, sed obeundo mortem ac martyrium*, quod quidem nôrat in proximo esse: nam in *Epistola*, quam ex *Philippinis* dedit ad *P. Rodericum Dezam nostræ Societatis*, quámque nos habuimus in manibus, scripsit, *cùm ea ipsi tradenda esset, se iam fore defunctum suo Martyrio*; quod factum est. In alijs ad *Manilæ Gubernatorem*, qui tum erat peregrè, hæc scripsit; *Cùm hæ venerint in manus tuas, ego iam ero in gloria*: quod etiam contigit. Rursum ex portu *Iaponiæ Francisco Ezquerræ* scripsit, *Inde se pergere ad gloriam*. In ijs, quibus *Duci Oliuario è Philippinis* commendat *Ioannem Lopium de Andoino*, sic ait; *Istud, Excellentissime Domine, vltimum est, quod in hac vita, ab Excellentia Vestra contendo, rogaturus*

*turus in cœlo Deum pro salute, incolumitate, ac prosperitate sua.*

Cùm dubitaretur *Manilæ*, an expeditio in *Mindanam* esset suscipienda, ipse hortatus est, vt absque metu facerent; ac percunctante *Gubernatore*, quisnam posset sperari successus inter tot ac tantas difficultates, quas enumerabat; respondit: *Vestra Dominatio ibit in* Mindanam, *& redibit cum* victoria, *etsi non sine multo labore.* Id quod suprà factum ostendimus. In *Philippinis Franciscus Hurtadus* conclamatus iam erat: rogauit tamen *P. Marcellum*, vt nouem diebus pro sua incolumitate operaretur in honorem *S. Francisci Xauerij.* Dum sacra facit; peius in dies ille habere; at *Marcellus* constanter ei sanitatem polliceri: quòd moris id esset *S. Xauerio*, nonnunquam opem suam differre, donec res ad summum discrimen venisset; vt ea ratione clarius fieret beneficium sua intercessione profectum à Deo; atque huius rei multa exempla narrabat.

Cúmque *Gubernator Patris precibus* eundem infirmum, tanquam sobrinum suum impensiùs commendaret, iussit eum sine metu esse de isto; *fore autem, vt alium Deus abripiat, cuius mortem grauiùs esset sensurus.* Fuit is *Petrus Hurtadus*, frater *Gubernatoris*, qui paulò pòst obijt, absente *P. Marcello*, quamuis eum sub mortem vt præsentem alloqueretur talibus verbis: *Súmne satis præparatus ad moriendum,*

dum, P. Marcelle? Sumne bene instructus ad rationem Deo reddendam? Erat omnino; quia ipsemet vir sanctus eum suis adhortationibus & colloquijs apprimè instruxerat. Matriti cùm quidam è *Societate* ad Insulas *Philippinas* contenderet, & P. Marcellus Goam, inde perrecturus *Macaum*, prædixit ei, se *Manilæ* conuenturos: quod accidit. Alia multa diuinitus prædixisse præcedens historia demonstrat, quæ hîc repetere, non est operæ.

Multis visus est etiam, *dono linguarum* præditus, quando *Iaponicam* humanitus tam citò addidicisse non potuit, vt *Iaponicè* cum præsidibus loqueretur. Miratíque sunt *Iaponij*, qui comitati sunt eum è *Philippinis*, suâ ipsum linguâ tam planè ac disertè secum colloqui.

Certè *gratia sanandi*, & alia mira patrandi ex tota eius vita elucet, quæ & ipsa continuū quoddam miraculum, ac mirabilium series, & connexio fuit, multósque eius ope admirabiliter sanatos ostendit: nunc de ijs tantùm commemorabo, quos manûs attactu sanauit.

*Tribunus* quispiam, cui vulnus præmaturè obductum erat, simul Marcellus admouit eius gutturi *manum*, euomitis duabus spinis, & aculeis, *integram sanitatem* recepit. Mirificum sanè fuit, quando in *Mindana*, prehensæ *chirurgi manui bene precatus*, eam vim diuinitus impetrauit, vt quoscunq; medicatus fuit, seruârit. Ope S. Francisci Xauerij & alia complura,

plura,& multos *sanos* effecit. Plurimam enim in eo spem habebat: vnde per eius inuocationem & *sacras reliquias* multa admiranda patrauit, tam in *compescendis dæmonibus*, quàm in *sanandis infirmis*. Adeò fiduciæ processerat erga hunc *Apostolum*, vt indubitatam *sanitatem* polliceretur *Imperatori Iaponiæ* per *Reliquias Xauerianas*, quas secum ferebat: quia fieri non posse dicebat, vt receptæ intra viscera tyranni non aliquid mirandum efficerent.

Et *Sanctus* ipse tanta eum voluntate amplectebatur, vt præter conciliatas animo eius oblectationes internas, ei creberrimè adesset conspicuus, foretque veluti continua quædam apparitio *Sancti* in eius obsequia, vt ipsemet *P. Marcellus* confitebatur. Quin etiam in sua *Imagine Sanctus* ei demonstrabat futura; *hilarem* exhibens vultum, si prospera sequerentur; *mæstum*, si aduersa. Toto igitur corde illi deuotus ac deditus erat *Marcellus*, tantúmque amabat hunc *suum Patronum* & *benefactorem*, nunquam vt eius meminisset sinè intimo sensu: maximè verò cùm repeteret animo cælestem illam pulchritudinem, qua *Neapoli* visus est ipsi; tùm enim totus liquabatur in lacrymas, & efferuescebat in pietatem.

Ex tantis virtutibus & miraculis, *Manilæ* magno æstimata est *Sanctitas P. Marcelli*; quare passim studuerunt adipisci aliquid rerum,

quas vsurpasset, tanquam consecratum ipsius contactu; ipsos adeò pilos barbæ vel capilli, cum tonderetur, magno cum sensu colligentes. Si quando in infirmitate sanguinem emisisset, eo lintea munda tingebant. *Superior Castelli S. Michaëlis* curauit omnem sanguinem, qui ab ipso manâsset, studiosè tanquam pignora sacra seruari. In pari veneratione fuit, quacunq; incessit; quòd omnes eum vt *Martyrem* à Christo designatum haberent. *Matriti* ademerunt ei pallium, vt seruarent pro lipsanis, præter alia multa, quæ quisque pro se ab eo consequi potuit.

Quodam loco tanquam pretiosissima gemma seruatur *mappa*, qua cùm inter edendum vsus esset, mox abripuerunt pro Sacris Reliquijs. Ego quoque pro mnemosyno accepi ab illo *crucem S. Toribij*, quam & maximi pendo. Quondam *Rex* cænobium *Discalceatarum* in Regia visurus, ducebat secum *P. Marcellum*, eum ipsis vt *Martyrem* futurum cõmendans. Ibi *chordam* pilei perdidit, neque reperire potuit, quantumuis inquireret. Monialis abstulerat, magni thesauri loco, eam vnà cum *Imagine* eiusdem asseruans. Contigit, vt eadem pignora, vtcunque studiosè custodita, amitteret; neque sciebat, quò modo. Postea Virgines aliæ censuerunt à cacodæmone fuisse surrepta. Multùm doluit eâ iacturâ, cùm per nullam diligentiam reperiret. Durauit hîc

mæror,

mæror, vſque dum nunciatum eſt, eum glorioſa morte defunctum, prout ei diuinitus erat promiſſum. Tunc enim Hortulanus interrogauit Virgines, *an ſcirent, quidnam eſſet id, quod inuenerat in ſterquilinio, & in muro quodam poſuerat*. Agnouit mox illa, quod perdiderat, omnésque gratulatæ ſunt ei, quàm de pretioſo pignore illo, tàm de benigna prouidentia Dei, qua theſaurum reproduxerat. Antiſtes partita *Spiram*, omnibus pauxillum diſtribuit, reliquo aſſeruato in ſolatium cœtûs. Fuerunt, qui pedes eius exoſculari ambirent, vel in genua coram eo prociderent. Alij ſolo figebant oſcula, cui præteriens veſtigia pedum impreſſerat. Quid multa? credi non poteſt, quanta in veneratione omnium fuerit; quod ipſimet conſpeximus.

## CAPVT XXIIII.

### *Profectio P. Marcelli in Iaponiam?*

Cùm hoc apparatu *virtutum*, ac donorum cæleſtium in *Iaponiam* intrauit ſeruus Dei *Marcellus*, ad recipiendam in ea coronam *Martyrij*, qua ipſi aditus pandendus erat in gloriam æternam. Quia poſt felicem illam expeditionem *Mindanaënſem*, nihil amplius in votis ipſi fuit, quàm conficere iter *Iaponicum*, quo ſimul ad vitæ, omniúmque ſuorum deſideriorum metam veniret, toto ſanguine ſuo fuſo pro Chriſto Domino noſtro. Petijt

igitur à *Manila Gubernatore*, ad illud maturandum adiumento sibi esse vellet. Is quantum se ipsi fatebatur obstrictum ad omnia, tantùm agnoscebat sibi necessariam esse eius præsentiam in expeditione, quam in *Iolum* parabat.

Igitur obnixè *P. Marcellum* rogabat, ne sibi deesse vellet in tam arduo & periculoso proposito, cuius eo præsente parem cum priore speraret successum. Sed cùm *Patris* ardor moras vlteriores complendi sui *voti Iaponísque* tangendi non ferret, nullis ab eo potuit modis id impetrari; neque tamen mæstum ab se *Gubernatorem* dimisit, sed parem felicitatem pollicitus, iussit certum esse de *Victoria* sibi concedenda à Deo, quamuis non sine magno impendio. *a.* Quemadmodum etiam contigit, seruo Dei non minus in cœlo per suas orationes ei præsente, quàm si degens in terra comitatus fuisset. Etenim *Iolana* quoq; *victoria* non sine miraculo fuit; quando *Gubernator*, vt ille prædixerat, in maximas angustias redactus, factâ magnam partem peditum suorum iacturâ, eius Insulæ *Victor* euasit. Quod ipsemet pro grandi miraculo, *S. Francisco Xauerio*, & eius Cliēti *Marcello* adscripsit.

Acquieuit promissioni *Gubernator*, nihil dubitans, eum fidem liberaturum in cœlo: atque ità præcepit adornari præberíque omnia, quæ seruo Dei ad iter *Iaponicum* necessaria forent: cúmque pecunia tùm ad manum non

esset,

eſſet, certatim ſtudioſi illius congeſſerunt liberalia dona, *torques, bullas, monilia aurea*, quòd non haberent pecunias, quæ parua mole diſſimulatæ ferrentur. Veſtijt ſe primùm *P. Marcellus* modo *Chinenſi*, ſeu quòd in eo regno cogitaret appellere, ſiue vt ſuſpicionem Inſulæ *Formoſæ*, & ex ea *Iaponiæ* petendæ, ea veſte auerteret.

Egit autem cum nautis *Chinenſibus*, vt ſe pro *mille nummis aureis* in aliquem patriæ ſuæ portum deferrent. Res admirabilis: quamprimum illi ſeruum Dei viderunt, ſimul ſenſerunt ſanctitatem, comitatem, aliáſque virtutes eluceſcentes ex ore, & omni actione ipſius, ac receperunt ſe illum omnino eò deportaturos, etiamſi noſſent, quantum periculum adeant, quicunque homines alienos adducunt. Quantumuis etiam ea gens auri cupida ſit, *virtus* tamen *P. Marcelli* hominum auaritiam vicit, vt alienas virtutes ante ſuum quæſtum haberent. Hoſpitabatur tum apud ſummum rei naualis *Præfectum Franciſcum Ezquerram*, & à communicatione cum hominibus abſtinebat, diuinæ intentus, & conflagrans deſiderio *Iaponiæ*, videndíque ſui corporis fruſtillatim conciſi & excarnificati pro Chriſto; neque alterius rei ſpecies obuerſabatur eius animo pectúſue ciebat.

Vt autem liberiùs hoc ageret, curauit *Ezquerra* fieri cancellos, ne ex ædibus oppoſitis

conſpici poſſet *Marcellus*. His inducta erat pi-ctura hiſtoriæ cuiuſdam *Iaponiæ*: quos cùm ob-derent, contigit *imagines* perſonarum inuerſas locari. Illico Dei ſeruus; *Omen*, inquit, *ſupplicij, quod me manet in Iaponia*. Verum fuiſſe, infrà dicemus. Cæterùm deſiderio patiendi ſuccenſus aliud ibi nomen aſſumpſit, *Franciſci de Cruce*.

Non potuit autem continere ſe *Gubernator*, quin ad eum noctu veniret, & quia timebat lacrymas verba interempturas, attulit literas, quibus complexus erat ea, quæ voluerat colloqui. Inter alia, quæ magno pietatis argumento in ijs perſcripſerat, petijt, vt ſi (de quo non dubitaret) ipſi Patri Deus gratiam faceret *Martyrij*, fido alicui Chriſtiano mandaret cuſtodiam ſui corporis, pro qua pollicebatur ei aureorum ſex millia; &, ſi quid vltra peteret, amplius etiam. Velle enim ſe illud in quatuor partes diuidere, quarum vna *Romã*, altera Regi *Matritum*, tertia mitteretur *Neapolim*; quartam verò deſtinâſſe patriæ ſuæ; ad honorandam ſepulturam maiorum ſuorum, vbi etiam *Collegium Societatis* inſtruere velit.

Denique conſtituit *funæam* (peculiare genus nauigij) fieri ſibi, qualium eſt vſus in *Iaponia*, ac diſſolutam in partes reponi in alia naue communi, quæ in *Philippinis Champanes* vocantur, donec attigiſſet Inſulas *Iaponias*. Nam *funæam* ibi primùm componi, & adornari

mari placebat, qua ingrederetur in illud *Imperium* cum quibuſdam *Iaponibus*, qui ſe comites & adiutores eius expeditionis obtulerant. *Gubernator* in vinculis habebat nauclerum, qui anno ſuperiore quoſdam *Dominicani Ordinis in Iaponiam* aduexerat; quod capitis pœna luendum erat. Huic non modò gratiam vitæ, ſed etiam inſuper *magiſterium nauticum in Mexicano mari* promiſit, ſi *P. Marcellum* clam expoſuiſſet in *Iaponia.* Tantum Deus eius itineri facit.

Facta eſt nauis *Iaponica*, & quia nemo ſciebat eam ſolutam componere & armare, præter eius architectorem, *Ioannem Sogbriem*, miniſtrum *Iaponium*, eundem ſimul auehendum impoſuerunt *Champani*, ignarum, quâ gratiâ fieret. Sed vbi reſciuit, perpendens diſcrimen, in quo verſaretur, multúmque indignatus dixit, grauiter id luiturum, & magno empturum *P. Marcellum*, quòd ita ſibi impoſuiſſet; innuens animum eum prodendi. *b.*

Res admiranda; ſimul hæc dixit, luítque, præſente vindicta cæleſti, ore ſic diſtorto repentè, vt ſub aure ſtaret, pudendo aſpectu; quare oppletus pudore, vt oculos contuentium effugeret, poſt malum ſe abdidit vultu cooperto. Aliquot dies ea vultus ignominia durauit, donec pœnitens dicti, ac *Marcelli* ſanctitatem agnoſcens miſit, qui interpoſito amoris diuini argumento veniam ſibi exora-

rent ab eo; quòd satis pœnarum pro improbo verbo dedisset. Non modò condonauit eam iniuriam, sed etiam multùm miseratus infortunium hominis, solita lenitate ad eum accessit, & vt abstergeret mœrorem, non alteri causæ, quàm frigori ventorum eam oris læsionem imputans, *manu* caput eius & os attigit, statímque id suum in locum rediuit.

Non destitit sathanas eum vexare in nauigationis decursu, varijs eam difficultatibus impediendo, ac tempestates atroces ciendo; vt ipsemet fateretur, nunquam se laboriosiùs nauigâsse. In quam sententiam etiam *P. Francisco de Roa* de sua nauigatione scripsit his verbis: *Fuit tam varia, & tam periculosa, vt essem inter spem & metum, dubius, an meis peccatis non disturbanda foret omnino. Et hoc ipsò temporis articulo, quo has exaro, ventus nobis anchoræ funem abrupit, & expectamus in perticis, dum funæa condatur & adornetur. De me confiteor, grauius hoc periculosiúsque fuisse, quàm quidquid vnquam itineris maritimi feci.*

O quàm bonum rudimentum *Iaponiæ!* sed aliqua sigillatim commemorabimus, quę contigerunt in illo. Iam vltra *vicesimum tertium* gradum *æquatoris*, supra insulam *Formosam* peruenerant, cùm eis aduersa tempestas coorta est adeò sæua, vt nautæ, qui omnem in mari vitam consumpserant; affirmârint, nunquam se tetriorem vidisse, aut propiùs vltimam

mam desperationem fuisse; quia insanis tumidísque fluctibus sic tundebatur nauis, vt quouis momento videretur confringenda. *c.*

Dum ita consternati omnes implorant & exposcunt misericordiam Dei, bono eos animo iubet esse *Pater*, quòd nihil mali sint habituri; promptísque *sacris lipsanis*, quæ in collo suspensa gerebat, *crucem* religiosè supra mare describit. Et mox puncto temporis omnino positâ sæuitiâ sedati fluctus, tranquillo mari ventus secundus iter placidissimum fecit, attonitis repentina mutatione omnibus, qui sanctitati *Marcelli* acceptam ferebant, gratias Deo referentes, à quo tam præsenti morti se ereptos agnouerant.

Quanquam & illud gratiæ fuit, quòd, cùm *Nauclerus* in *Formosam* exscendere, & præsidium, quod ibi est *Hispanorum* intrare vellet, (contra voluntatem serui Dei, qui videbat, ea ratione se proditum iri) per illam tempestatem ab eadem insula depulsi fuerint.

Postea cùm tuto mari decurrerent, deficiebant eos aqua & ligna, quæ vt prospicerent sibi, terram alicubi conati sunt apprehendere. Sed omni ope adnixus est orcus id impedire, ac ventis reiecit eos, cùm iam raderent littus. Igitur necessitate constringente, cōtenderunt ad oram alterius insulæ, quæ *Iama* vocatur, neque ad eam potuerunt appellere. *d. Denique* cùm summa iam esset necessitas, ad aliam

rursus insulam, inter *Lequias* affinem *Iaponiæ*, clauum torsêre; sed irritò rursus conatu. *Tertia* hæc repulsa magnum eis mœrorem ac terrorem affuderat, quòd vitæ seruandæ spes omnis perempta esset. Non defuit eis *P. Marcellus*, verbísque amantissimis meliores animos dedit. *Mittite*, inquit, *filij*, *sollicitudinem, lætique prosequimini iter tam longè perductum; quia Deus Dominus noster prouidebit, ne aqua nos deficiat*. His dictis, ad orandum secessit, eodémque die misit Deus imbrem tam copiosum, vt omnes eo non solùm recreati fuerint, sed etiam hydrias aliáque vasa replêrint.

Copiæ lignorum maior etiam admiratio fuit, cùm à longo tempore quotidie deficeret, nunquam tamen deesset omnino, Deo illa multiplicante. Quod miraculum omnes indubitatè *P. Marcello* acceptum retulerunt. Durauit autem, donec *Iaponicam Tellurem* attigêre, vbi non petentibus *Iapones* vltrò ligna, gallinas, & alia reficiendis corporibus apta detulerunt ad naues, noua admiratione illorum, quibus inhospitalitas *Iaponum* erga *Christianos*, odiúmque cognitum erat.

*e*. Inter istas exercitationes & pericula, Dei seruus pro solatio libellum promere solebat, cuius inscriptio fuit, *Progressus conuersionis Indiæ*: crediderim fuisse *Xauerianas Epistolas*. His fortè apertis descripta reperiebat *vaticinia* omnium, quæ ipsis euenissent, quæ-

que

quæ euentura erant in toto itinere: neq; legebat solũ, sed in ipso libello monstrabat omnibus; hinc animos illis excitans, ne res aduersas, quas experiebantur, curarent; quia nihil essent aliud, quàm cassæ formidines à diabolo sibi oppositæ: *Vt*, inquiebat, *à Iaponia me deterreat, quam Deo dante breuì tangemus; Vos autem cùm reuertimini* Manilam, *secundissima nauigatione vtemini.* Quod etiam factum est.

Volebat cacodæmon in hoc vltimo itinere extrema contra militem Christi mouere, gnarus quàm graue sibi bellum inferret admissus in *Iaponiam*, & quàm multis sua morte Diuinæ Fidei arripiendæ occasionem esset præbiturus. Nam propterea diuinitus euocatus erat ad hos populos, in superstitionum & errorum cæcitate sepultos. *f.* Quare cùm persona inprimis gratiosa apud Deũ, ei iter *P. Marcelli* commendaret efflictim, audiuit vocem ex *Imagine Crucifixi*, prolapsum in hæc verba; *Mitto lucem S. Spiritûs*; ac simul ab *Imagine* radijs fulgente prodijt lux clarissima, sed quæ cum voce præterijt, neque vltra durauit; Deo significante, *Missionem* feruidi *P. Marcelli* ad *Martyrium* ociùs obeundum in *Iaponia*, factam esse ad illustrandum id regnum cælesti lumine *Euangelij*, & *Fidei Christianæ*.

a. *Processu Manil. fol. 29.* b. *Manil. fol. 22. pag. 2. & fol. 43.* c. *Manil. fol. 43. & 52.* d. *ibidem.* e. *Manil. fol. 53. pag. 2.* f. *Manil. f. 76.*

## CAPVT XXIV.

### *Marcellus intrat Iaponiam.*

APparuit ei tandem optata *Iaponia*, neque hoc sine miraculo: *a.* etenim ante solis occasum nauarchus, aliíque omnes, magno studio cæli fines prospexerunt, an aliqua ex parte se terra ostenderet: nihil vsquam visibus deprehendêre. Sed media nocte, cùm malacia remorum vsum negaret; *P. Marcellus* oculos in *Iaponiæ* plagas, vbi corde iam hærebat, defigens, vnà cum *Duce Christophoro de Villa Franca*, conspicati sunt terram editiorem, quæ maior *Lequio*, insula oræ *Iaponiæ* fuit. Ea quantumuis longè abesset, ac tempus noctis intercluderet visum, tam clarè tamen atque distinctè ab eis conspecta est, ac si vltra teli iactum nequaquam distaret. Dixeris, Deum serui sui oculis *aciem Lynceam* addidisse, vt promissæ dudum sibi terræ tam desideratæ; ac tantis itineribus quæsitæ aspectu prælibato exhilararetur.

Ad eam insulam etsi postea nauem conuerterent, minimè tamen peragere potuerunt in portum, remis à media nocte vsque ad decimam diei horam sudantibus, resistente contrario vento, qui obortus eos excussit, vt commutato itinere ad aliam *Iaponiæ* partem applicarent. Quod non sine speciali Dei prouidentia

tia factum agnouêre ; quia priori illi regioni præfectus fuerat homo peracerbo odio & crudelitate in Christianos, qui etiam *Dominicani Ordinis duos* habebat in carcere, cum alijs nõnullis, dubio procul capturus omnes *P. Marcelli socios*, si contigisset in portum eius incurrere : quod maximo ipsi mœrori fuisset, si illi, qui indè vsque à *Manila* se deduxerant, non possent eò reuerti securè. At in altera parte commodè potuerunt omnia perficere, sicut finitum animis habebant, ac tutò redire.

Demum *quarto die Augusti 1637. Iaponiam* attigerunt, in alterum illum portum inuecti, eo gaudio serui Dei, quod ex tam ardenti ac diuturno desiderio necesse fuit existere. Ibi compararunt *Iaponicam nauem*, quæ se commodùm obtulerat, quòd ea ratione celeriùs expedire se possent, quàm si primùm componenda esset ea, quam aduexerant *Manilâ*. b. Die sequente *P. Marcellus* in illam transiuit, vt ad interiores insulas regni penetraret, socios autem in *Philippinas* remitteret. Prius tamen oratione, spiritûs & ardoris plenâ, allocutus est illos, qua sic emolliuit animos eorum, vt omnes affluerent plurimis lacrymis; sanè qui inter illos erant, etiam *Gentiles*, & *Sangleyes*, non aliter lacrymati sunt ex eius discessu, atque olim infantes, cùm abstrahuntur à matre; nam erga omnes pius *Marcellus* viscera materna semper ostenderat,

Vlti-

Vltima eius verba fuerunt iſta; *Ite cum bono Deo, & eius Diuinæ Maieſtati me commendate. Ego de infinita ſua bonitate confido, vos habituros feliciſſimum iter.* Id quod eis iam antè prædixerat, è diuino, vt euentus docuit, ſpiritu. *c.* Nam licet in ijs maribus violentorum ventorum vis ſumma cernatur, nihil tamen quidquam ab eis pertulerunt incommodi, ſed tam felici curſu *Manilam* peruenerunt, ac ſi placidiſſimo quoque flumine nauigâſſent.

Non minorem curam habuit *Iaponum*, qui comitati fuerant; *d Gratias*, inquiebat, *habeo vobis, filij, pro labore meâ causâ ſuſcepto, próque amantiſſima Societate, qua mecum permanſiſtis in itinere tam difficili. Nunc oro vos*, Manilam *reuertimini, neq; mecum vltra procedite: nam ſi fortè prodamur, metuo, vt animos tormentis ac ſupplicijs, quæ* Iaponiæ Præfecti *de Chriſtianis, & Sacerdotum præconúmque Chriſti fautoribus expoſcere ſolent, pares geratis.* Atque ad perſuadendum eis reditum, argumentis multis eſt vſus, ſed fruſtra; quòd magno cum ſenſu poſtea deplorauit, cum tyranno manus dediſſent. Illi autem pertinaces propoſiti ſemper eum ſequendi, noluerunt ab eo recedere. Ergo *19. Septembr. 1637.* peruênit in *Regnum Saxumæ*, cui *S. Franciſcus Xauerius Euangelij lumen primò* inter eos populos olim infuderat. Quia verò conſtitutum habebat rectà *Imperatorem Iaponum* adire, docturus eum *res noſtræ ſanctæ Fidei,*

in *Regnum Fiunga* perrexit, & in portu *Xiquisano* exſcendens nauem refecit. Sed cùm ibi metueret prodi, ad portum *Cuſanum* contendit: in quo cum *ſocijs Iaponibus* agnitus eſt.

Ne itaque proderentur, illi à popularibus ære mercati ſilentium, *P. Marcellum* cum vno ſolo terrâ pergentem, vt faciliùs abſconderetur, mari ſecuti ſunt. At inſequentes mox apparitores nauem ceperunt, variáque percunctati ſunt; illud inprimis, è quo *Iaponiæ* regno veniſſent. Reſponderunt è *Saxumano*; ſed mox agniti pro *Chriſtianis*, quòd nullius *Iaponiorum* Deorum ſimulacrum è collo ſuſpenſum haberent, prout Imperatoria lege ſanctũ erat, vt in promptu foret indicium, quas quiſque Religiones & Numina veneretur. Interea ſe *P. Marcellus* in montibus inter ſpiſſas dumos abdiderat; ſocij verò in vinculis *Nangaſachium* ducti, adhibita quæſtione dixerunt primùm, ſe cum *Religioſo S. Franciſci* veniſſe, vt ea ratione celarent *P. Marcellum*; ſed eum tamen poſtea prodiderunt, tam illo mendacio, quàm proditione fidem datam fallentes.

Iſta confeſſione inſtructi miſerunt milites quæſitum, captúmque Dei ſeruum, quem inuenerunt indicio terræ, quàm ad ſe occultandum egeſſerat, vel vt alij perhibent, nubeculæ fumi ex eo loco ſurgentis. Erat is tum in profunda oratione defixus, tantóque ſuccenſus ardore, vt emicaret etiam foras, vultu cœ-

lesti luce fulgente. Quare attoniti illi abstinere ab illo manus, donec ad se reuersus ore sidereo, brachijs decussatis supra pectus animos eis addidit, vocatísque ad se dixit: *Videtis me hîc, filij, apprehendite me.* Illi facta hac potestate, vincula imposuêre, sed non sine magna veneratione ac reuerentia; quòd aliquid homine maius in eo conspicerent. Sed eodem momento tantis motibus terra quassata est, magnus vt metus & admiratio cunctos perciperet, etiam qui de capto innoxio viro nihil resciuerant.

Vinctus diuersis catenis *Nangasachium* ductus est, exaduersum *Saxumæ*, deducentibus eum ducentis militibus, qui non militaribus exemplis eum, sed honorificé, comitérque tractârunt, propter emicantes ex omni actione sua virtutes, quibus rapti sunt in admirationem ac reuerentiam viri.

a. *Processu Manil. fol. 53. p. 2.* b. *Ibidem fol. 54.* c. *Ibidem fol. 44. & 54. p. 2.* d. *Ibidem fol. 55.*

## CAPVT XXV.

### *Gloriosa P. Marcelli Mors.*

QVinto die Octobris eiusdem anni *delatus Nangasachium* Dei seruus, continuò à Præsidibus in quæstionem vocatus est. *a.* Qui circumstabant, magna cum admiratione

ne attoniti conſpexêre magnum ſplendorem ſupra caput ipſius. Initium victoriarum à varijs interrogationibus factum. Veniátne *Macao*? quò tendat? & quare ſuſtinuerit *Iaponiam* ingredi homo *Religioſus*, contra ſeuera *Imperatoris* edicta?

Reſpondit non minore animo & fortitudine, quàm modeſtia: *ſe non Macao venire, ſed Europæum eſſe, natione Italum, patriâ Neapolitanum, qui ex Luſitania in Indiam, Malacâ in Inſulas Philippinas, & hinc in Iaponiam venerit, animo loquendi cum Imperatore, vt ſi ad huc ſit in viuis, ei ſanitatem reſtituat, ac tradat legem IESV Chriſti, tanquam legatus ad hoc miſſus à ſuo glorioſo Patre S. Franciſco Xauerio.*

Quærentibus, quiſnam ſit ille *S. Xauerius*, ſubiunxit, eſſe *primum*, qui è *Societate IESV* veniens in *Iaponiam*, *Franciſcum Bungi Regem* cum ſubditis omnibus ad fidem IESV Chriſti conuerterit. Si tamdiu mortuus eſt *Xauerius*, inquiunt, quî tu venis abeo legatus ad Imperatorem? At ille, *quamuis hac mortali vita defunctus ſit, æternâ tamen viuit in cœlo; & in huius argumentum ipſe mihi* Neapoli *vitam reſtituit.* Hîc vbi de mirifica ſua curatione diſſeruiſſet, addidit, *ſe in mamoriam tantæ gratiæ ſecum ferre narrationem vberiorem eius miraculi, ac ſimul* Imaginem *eiuſdem* ſancti, *in ea forma peregrini, qua ſe ipſi viſendum obtulerat.* Loquebatur de illa, quam *Oliſſippone* noctu non ſine miraculo

culo pictam, *Manilæ*, & in oppugnatione *Mindanensi*, vultûs commutatione, tristia lætáue prodigiosè pronunciasse narrauimus.

Præsides itâ acquieuerunt eius *modestiæ*, ac sermonibus cælestium scintillarum plenis, rebúsque miris, quas memorauerat, vt palàm dicerent, nunquàm in *Iaponiam* venisse hominem æquè *modestum*; & indignarentur socijs, qui eum prodiderant. Quamuis autem itâ inter se bene dicerent *Patri*, ac suspicerent eius *virtutem*; quia tamen examussitatè sui *Regis* mandata obseruant, mandarunt ei adhiberi consueta *aquaria supplicia*.

Nam inter varia *Iaponicæ* crudelitatis inuenta, *tria* præcipuè vsurpantur. *Primum* est *vrnæ*, quo suspensum pedibus hominem, capite narium tenùs immittunt in *vrnam* aquâ plenam, múltúmque contorto fune in aëre pendentem dimittunt, vt se sponte retorqueat, supplicium sanè quàm atrox, quia penitus animæ respirationem intercipit.

*Alterum scalæ cruciamentum est*, quo suprà scalam extensos altera sola manu sic alligant, vt si per cruciatûs impatientiam Christo renunciare velint, sinistrâ, quam liberam habent, signum dare possint eam pectori admouendo. Capite verò ad vultimum scalæ gradum applicito, cùm pedes in vrna grandi defixerint, carnifices continuò magnam vim *aquæ* per infundibulum ori eorum imposi-

tum

sum infundunt; quòd cum afferat summam animæ ducendæ difficultatem, plerumque facit, vt aliqua præcordiorum vena rumpatur.

Vbi verò illi fuerint *aquâ* repleti, binis tabulis admotis eorum ventri, validè agitando exprimunt *aquas*, non sine magna violentia, per fauces narésque; aut mantili circumligatos ità validè constringunt vtrinque, vt *aqua* vndique profluat, incredibili cruciatu.

*Tertium fossæ tormentum est* huiusmodi. Effossa humo in exigui putei modum, non rarò congestis in eam spurcitijs, ligneum operculum obdunt, sic patens in medio, vt immitti queat hominis corpus; quem pedibus in aëre suspensum, cingulo tenùs, vel paullò altiùs capite immittunt in *caueam*, probéque condito operculo, brachia soluta relinquunt, vt si pœnitens fidei Christianæ cedat vi diuturni grauissimíque supplicij, tabulas operculi pulsando possit opem poscere, ac signum dare mutatæ sententiæ.

Grauissima tentatio dirum hoc genus perpetientibus. Contingit enim, vt corpore diu contrario naturæ modo pendente, sanguis refluens cruciabiliter in collum, caput, & ora feratur, ipsáque adeò viscera & intestina resoluta suis locis recedant, horrendo sanè cruciatu dolorum.

Priora duo tormenta *vrnæ* & *scalæ* primo biduo sustinuit felix *P. Marcellus*, & in secun-

do quidem *cyathos quadringentos*, etsi nōn per infundibulum, infuderunt eius ori continuò, vt ægerrimè ſpiritum duceret, iámque ſemineci carnifices ipſi condolerent. Sed vbi vires parumper collegit, ardens animis, & eleuato, vt poterat, corpore, dixit, *non eſſe, quòd terreantur hac ſua debilitate conſpecta: nam etſi Religioſus homo ſit, minimè nutritus in delitijs, relictos tamen ſibi naturæ ſenſus, & affectus infirmitatis humanæ; ſpiritu verò prompto, animóque conſtante ſe eſſe ad ſuſcipienda ſufferendáque tormenta, quæcunq; in ſe poſſint exequi.*

Indè reportatus in carcerem, intellexit; *ſocios Iapones*, vtì iam diximus, metu ſuppliciorum pedem retuliſſe, tantùm vnico paratiore ad proijciendam vitam, quàm fidem datam Chriſto, & ſeruo illius. Prodiderant verò illi totam rationem aduentûs *Marcelli* in has oras, quibus ſocijs, auxilijs, modíſque veniſſet, quæque illi contigerant omnia; vt Præſides accuratam haberent notitiam, tum duorum globorum, qui ex maioribus tormentis excuſſi in *Mindanai* oppugnatione per miraculum vires perdiderant, *alter* attactu veſtis *P. Marcelli*, *alter* autem *vexilli*, quo *Imagines Chriſti* & *S. Xauerij* depictas extulerat: tum etiam vt ibidem *Sanctus* ille *P. Marcellum* fuerit ſolatus certa ſpe *glorioſæ victoriæ*, mox conſecutæ.

De omnibus iſtis interrogarunt Præſides

Mar-

*Marcellum*, orantibus perduellibus, conſentanea ſuis dictis reſpondere vellet, ne ipſi vocarentur ad noua tormenta. Acerbiùs tulit gloriosſus athleta caſum infelicium illorum, quàm ſua ſupplicia: cúmque aliàs inter ea animo ſereno, & arduo foret, hac ſociorum ſtrage quàm dolenter afficeretur, teſtati ſunt effuſi fletus, qui ex oculis, velut è gemino fonte prorupêre.

Cúmque tacitus per horam vultu in terram defixo ſtetiſſet, magno ſpiritu deſertores adortus, demonſtrauit, quanto ſe ſcelere alligauerint, ſui Conditoris fidem negando; ac tanquam bonus Paſtor oues è lupi faucibus erepturus, hortatus eſt grauiſſimè, ad emendandum errorem, etiamſi noua ac terribiliora ſupplicia exhaurienda ſint. Hîc indignati Præſides, quòd non videretur ea reſpondiſſe, quæ illi petierant, interrogarunt, an non veniſſet *Manilâ*, miſſus à *Gubernatore*, minati exquiſitiſſimis tormentis veritatem ſe expreſſuros, niſi vltrò confiteatur, & ſatisfaciat poſtulationi ipſorum.

Reſpondit animosè; *Veniant ſupplicia, & tormenta tormentis addantur, Deus mihi ſufferendi vires præſtabit. Quod verò ad factas quæſtiones attinet, ex ijs comites mei nihil damni facient; reſpondebo ad ſingulas.* Manilâ *veni, non miſſu* Gubernatoris, *ſed animo* Imperatorem *ac totum* Iaponem, *ſi poſſim, conuertendi; & ſi in*

*tam glorioso conatu contingat mihi mortem oppetere, quid à Deo meo poscere, vel expectare possum optatius?* Si tanto mortis desiderio teneris, inquit vnus Præsidum, ego te voti certum esse iubeo. Sed age, dic mihi, quid medicaminis est istud, quo *Imperatori* sanitatem promittis?

*Attuli mecum*, ait Marcellus, *herbas aliquas perquam operosas, & insuper puluerem, quo si vti voluerit* Imperator, *certam perfectámque sanitatem ei polliceor.* Erat is puluis *lipsanorum S. Francisci Xauerij*, quo pilulas medicinales parârat, indubitata spe, *Imperatorem Iaponum*, si vsus fuisset, vniter ab animi corporísque malis sanandum. Tantum de ope *Xaueriana* fide generosa præsumpserat.

Quin vltrà prouectus aiebat, *si vel Imaginem Xauerianam admoueret sibi* Imperator, *aut in larario poneret, prodigia admiranda visurum. Id si credere non velint, accipiant sanè Imaginem, séque interim in vinculis habeant etiam toto biennio: quo tempore si veritatis expertia locutum inueniant nihil se causæ dicturum, quin abripiatur in atrocissima tormenta, quæ possint vsquam proferri.*

Mitte has nugas, dicunt *Præsides*, & ad nouos cruciatus te para. Quo dicto, ministri mox in carnificinam deductum spoliare vestibus, & *ferro candenti* partes corporis verecundas adurere.

Grauiùs eam nuditatem & impudentiam

tulit

tulit *Patris modeſtia*, pudórque virgineus, quàm ferrum & ignem. Quare voce *modeſta* quidem, ſed graui ac ſeuera expoſtulans: *Totum*, inquit, *corpus meum obtuli ad lanienam pro meo Creatore ac Domino, neq; vllum crudelitatis genus excuſo; cùm ergo tot ſint corporis membra, in quæ ſæuire poſſitis, vt libet, quare non omittitis iſtas indignitates, tam alienas à decôre naturæ humanæ, quas ne Barbari quidem ſuſtinent exercere in beſtias?* Repreſſit barbariem, & peruerſum furorem tam iuſtâ querelâ: ergo ad *aquæ tormenta* reuerſi; à quibus ne perimeretur omnino, mortuo quàm viuo ſimiliorem, retulerunt in carcerem, vt reſpiraret ad noua ſupplicia, quæ illum manabant.

Simul recepit aliquid vírium, ei ſententiam mortis dixerunt. Miniſtrum nuncij tam deſiderati fauſtíque haud ſecùs accepit, quàm ſi cœlo delapſus eſſet, *Et à quo*, inquiebat, *mihi hæc gloria!* Multùm dolens, deeſſe ſibi *Euangelia*, quibus eum remuneraretur. Cúmque exprimeretur atrociſſimum genus mortis, cui damnatus eſſet, offerendæ per *ſcrobem*, qua multis *Religioſis* vita crudeliſſimè extorta eſt, illud Chriſti Redemptoris repetijt; *Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma*: & mox vaticinatus, *caueâ quidem cruciatum, non tamen extinctum iri ſe, dixit; magna equidem voluntate ac voluptate pro Deo meo experiar* ſcrobem, *non tamen vitam eâ, ſed ferro effundam*,

Videns ergo ſe tam propè finem optatum veniſſe, totam illam noctem cum Deo tranſegit, cui, vt ſe dedit in preces, adeò defixus inhæſit, vt omnes tam *cuſtodes*, quàm *Præſides* ad ſpectaculum aduocati cum admiratione conſpexerint ſublimem in aëre, luminéque circumfuſum, miraculo nunquam antea Barbaris illis audito viſóque. Etenim gratias infinitas acturus Diuinæ Maieſtati pro corona ſibi parata, ſic animo emicuit in cælum, vt longo tempore multùm ſupra ſolum leuatus cerneretur, ac toto vndiq; corpore collucens, non carcerem tantùm repleuerit radijs, ſed extrà quoque fulgor apparuerit.

*Luſitanus* fide dignus *Macai*, ſub religione iuriſiurandi, ſacris Magiſtratibus perhibuit, ſe vidiſſe ſplendorem, cœlo prodeuntem, per auras deſcendere ſupra carcerem, in quo Dei ſeruus erat, & ibidem conſiſtere; aliáque multa per eos dies mirificè edita, velut in theatro fuiſſe, quæ metus *Præſidum*, excubias diſtinctè & explicatè vulgare prohibuit. Carnifices id honoris habuerunt *Marcello*, vt, quod non ſolent, niſi quem ſanctitatis nomine verendum putant, *caueam* repurgarent. Ita inuictus Chriſtianæ veritatis aſſertor, & non tam multiplici fauore cœleſti, quàm ſanctæ Religionis noſtræ confeſſione inter vincula, probra, & carnificinas fortiter facta illuſtris, *Decimo quarto Octobris 1637. die Mercurij horâ vndecimâ,*

*mâ*, in optatum locum ſuæ erga Deum pietatis, vitæ profuſione, teſtificandæ proceſſit, oculis defixis in cælo, cingente iudiciali ſatellitum turba, labris *mordaci ferro* compreſſis, prohibitus de noſtra ſancta Religione alloqui ſpectatores.

Mox equo impoſitus, & funibus catenísque arctè alligatus, dexterâ parte capitis rasâ, ſiniſtrâ verò minio pictâ, quod ſummæ apud *Iaponios* eſt ignominiæ: nemo tamen erat, qui auderet eum excipere riſu, vel conuitio aſpergere; quod apud illos in eiuſmodi ſpectaculis aliàs eſt vſitatiſſimum. Veſtis erat *tunica*, quali *Societatis IESV* ſacerdotes vtuntur in *India*; ſed non deſcendens vltra genua, vt inferiora nudus eſſet. In humeris geſtabat vexillum, quo ſententia mortis eius deſcripta erat, his verbis: *Hoc iudicium exerceri mandat magnus Xogun, Imperator Iaponiæ, per ſuos Gubernatores Rida Sicagibarin, & Baba Saburoſa Yemon, in perſona iſtius hominis, propterea quòd venerit in hæc regna Iaponiæ ad promulgandam legem peregrinam, contra legem Xacæ, Amidæ, & aliorum Fotoquum. Venite ſpectatum omnes, quomodo moriatur in cauea; vt editis in hunc exemplis alij ſapiant.*

In hunc modum *glorioſiſſimum ſpectaculum* nô tam *Iaponibus*, quàm Aulæ cæleſti præbens, Chriſti triumphantis imitator in forum deuênit, quod *Yendo* vocatur, vbi *Luſitani* erant, qui

in illo portu *sex naues* habebant. Hi conspecto beatissimo viro lacrymas oculis profudêre, quòd eum efflictim amarent ac venerarentur. Ipse contrà, vt potuit, ter inclinato eos capite salutauit. Vbi ventum ad *caueam* est, fortiter eum funibus astrinxerunt vsq; ad pectus, vt tanto diutius animam traheret in eo tormento: dempto autem *ferreo* illo *claustro* ab ore, *Pater* gratias Præsidibus egit, quòd tantùm sumpserint laboris, vt se eò vsque comitarentur, ac tenerrimo sensu dulcissimóque affectu dixit: *Nunc videbitis, Domini, quàm magnus sit Deus, quem nos Christiani colimus; & quàm pretiosa vita, quam speramus.* Mox pedibus suspensis in *caueam* demittitur genuum tenùs. In ea tam quietè pependit, quàm si lapis esset; tam placidè & iucundè, quàm si in lecto molli iaceret, vt mirati carnifices in suspicionem venerint iam obitæ mortis. At vbi deprehenderunt, eum adhuc vitam ac spiritum ducere, percunctati sunt, aliquáne re indigeat. Respondit, *non alia, quàm vt se in suo paradiso relinquant.*

Multos interim est mentis in Deum raptus perpessus: adhortantibus præsidibus, retrocedere à Christiana fide, ostendit iugi constantia, priùs id solem facturum, vrbanè rogans; omittant hæc verba prodigere. Milites autem, ac vulgares homines defectionis mentionem ingerentes, etiam cum indignatione iussit

ſit faceſſere. Cùm rogaretur, an aquam aliúdue deſideret; *nec aquam*, inquiebat, *neq; aliud cupio, niſi gloriam, gloriam Dei:* comiter autem à militibus & carnificibus veniam petebat, pro labore, cura, & vigilia, quibus ſuâ causâ tamdiu detinerentur.

Vixit in hoc tormento pari quiete & æquitate animi *quatuor dies, à decimo quarto Octobris* vſque ad *decimi ſeptimi* (qui Sabbathinus fuit) horam tertiam veſpertinam: atque ità vixit, vt nec gutta ſanguinis ei deflueret; res vt inſolens, & nunquam viſa, ità apud omnes indubitati miraculi. Etenim ſanguis alijs tam copiosè cadit, vt, ne ocyùs extinguantur *Iapones* conſueuerint illis incidere venam in capite. Quod cùm nunciatum eſſet Præſidibus, mandârunt illicò ſublatum è *ſcrobe capite plectere:* quod ipſemet futurum prædixerat.

Cauſa tam properatæ ſententiæ fuit, quòd poſtridie feſta cuiuſdam *Pagodis* imminerent, quibus nefas ducunt inferre ſupplicia. Cùm igitur eximeretur è *cauea*, turbari cœpit & quærere, cur id faciant. Cognitâ causâ, ore lætiſſimo dixit; *ſi propterea, felix hora.* Cæterùm hîc ſummam quandam, & compendium dolorum, ac diuerſorum tormentorum eſt paſſus. Nam qui ex illa contraria poſitione corporis reſtituuntur in ſitum natiuum, ijs omnia viſcera ſuis locis emota, ac decidua dum in ſtationem quæque ſuam redire nitun-

tur, incredibilem in corpore perturbationem & commotionem pariunt omnium, & sensuum, & membrorum. Sed felix *Pater* tanta id sustinuit alacritate ac lætitia, vt etiam extra pectoris ripas foras exundaret: pronísque genibus supplex ingenti affectu, alta voce, quam *Lusitani* audierunt, *Pater mi*, inquit, *S. Francisce Xaueri: Pater mi, S. Francisce Xaueri*: vel quòd eius memoriâ sése exhilararet in extremo certamine: vel quòd apparenti sibi, vt aliàs passim, felicitatem suam gratularetur.

Validum interea *ferrum* carnifex molitus in caput *Marcelli*, ne vestigium quidem impressit. *Altero ictu*, quem ira, pudórque roborauerant, signum reliquit in collo tenuissimi stringoris, ferrúmque, velut à saxo resiliens, éxcidit è manibus Barbari, qui attonitus obriguit. Obstupuerunt etiam quicunq; rem inusitatam viderunt, quòd *gladius* pondere & acie talis esset, qualibus olim vno ictu boues dissecant; quantò faciliùs caput hominis à ceruice rescinderet, nisi impediretur virtute maiore?

Postea cùm gloriosus Christi miles conuersus ad canificem, cum lætitia quadam cælesti dixisset: *Exequere, fili, quod tibi mandârunt vestri moderatores*; prolatis Sacrosanctis Nominibus, *IESV* & *MARIÆ*, se ad excipiendum ictum supremum composuit: ille animatus hac adhortatione, resumpto ferro

absci-

abſcidit *caput*, *Martyr* autem ſpiritum victorem ad ſuum Conditorem emiſit.

Ab eo momento, per bonum ſpatium temporis tota illa regio concuſſa eſt, magna cum admiratione *Iaponum* & *Luſitanorum*, quod inter tot clariſſima, in ea vrbe edita, *martyria* nunquam contigerat. *b.* Sed & palatio, in quo *Præſides* habitabant, ſereno vndique ac limpido cælo, nubes obſcura, cum terræ motu, incubuit, omnibus admirantibus. Neque tamen intermiſit barbara carnificum petulantia experiri ſua arma in ſacro corpore; quo confeſtim cremato, pretioſi cineres cum terra, in qua conflagrauerat, in mare ſunt ſparſi. Atque vt nihil in hoc Viro ſancto eſſet abſque miraculis, *Luſitanus* quiſpiam in memorata ſuperiùs relatione confirmauit, ſe vidiſſe fumum ex rogo, quo ardebat corpus, tendere contra ventum, qui tunc erat, eum naturæ lege neceſſariò diſſipaturus: Deo inſtaurante in hac felice anima & corpore illud, quod in Diuino Carmine dicitur: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum, ſicut virgula fumi?*

Non deſunt antiqui *Patres*, qui dicant, eo potiſſimum ſigno certum fuiſſe, Deum benignis oculis reſpicere ſacrificium *Abel*, ſpreto *Caini*, quòd ab illo *fumus* rectà ferretur in cœlum, ab iſto verò non permiſſus eleuari, diſpergeretur ſupra Tellurem: Gratum ſibi fuiſſe holocauſtum huius *Martyris*, conſimili

ſigno

ſigno manifeſtauit. *Cruces*, *Reliquiaria*, & alia Chriſtianæ pietatis fomenta, quæ antea petiuerant à ſeruo Dei, mandato *Præſidum* publicè confracta ſunt, reſeruatis nonnullis, inter ea pulueribus inteſtinorum *S. Franciſci Xauerij*, quos quia audiuerant medendi virtutem habere, vnà cum *imagine Xaueriana* cogitârunt mittere in *Regiam*.

Huius tam pulchræ mortis, in teſtificationem Fidei Chriſtianæ oppetitæ, famâ toto mundo tantùm accenſa eſt pietas hominum, quantum deſiderata ipſimet *Marcello*, & omnibus expectata fuit. *Macai* feſto fragore tormentorum, & muſicis concentibus excepta eſt, populo ad ſolennes Deo laudes canendas in templum congregato. Idem alibi factū, & inprimis *Olyſſippone*, vbi aliud præterea feſtum *Eucharisticum* in honorem *S. Franciſci Xauerij* celebratum eſt, auctore *Domino Antonio Tellez à Silua*; *Matriti* verò in Monaſterio *S. Placidi* ſtudio *Dominæ Cæciliæ à Villanoua*, in quo *Pater Magiſter Boil Ordinis Dominæ noſtræ de mercede*, è præcipuis Concionatoribus Aulæ, præſtantiſſimè dixit. Nonnulli *Duces*, vt ſecuriùs nauigarent, *Martyris imaginem* in vexillis depingi curarunt.

*Rex Catholicus* ſumptus indulſit pro *quadraginta* è *Societate IESV*, nauigaturis in *Mindanaum*, *Iolum*, & reliquas *Philippinas*, & ſi quam poſſent opem laturis *Iaponiæ*; quem-

admo-

admodum ab eo seruus Dei petiuerat; cuius venerationi hoc datum est à *Rege*, & *Consilio Indico*, vt è *Societate* tot irent in *Philippinas*, qui omnes ad alias Regiones tendebant, ipsamet *Societate* ægrè tot concedente pro *Mexico*, & *Peruano*. Sed æstimatio sanctitatis *Marcelli* omnes difficultates perfregit. Confido eundem è Cælo cōpensaturum hoc tam illustre obsequium, Deo præstitum in sui gratiam, quódque ipse tantopere desiderauit in viuis. Neque enim in cælo, vbi omnes virtutes supremam perfectionem consequi solent, minor erit eius, quàm in terra fuerit ad gratiam reddendam propensio. Et ille, qui pro sola voluntate benefaciendi nobis mortalibus obstringi dignatur, munere non leui remunerabitur & *Regem*, & *Ministros* eius, qui rem *Christianam* in illis oris, durissimo tempore, tam largè & munificè adiuuêre.

a. *Process. Manil. & Macaëns. & hist. P. Ignatij Staffort*. b. *Process. Manil. fol 164. p. 2.*

---

## CAPVT XXVI.

### *Marcellus post mortem Deum orat pro Iaponia.*

FElicissimi *P. Marcelli* vt vita, sic etiam finis magnum quoddam miraculum fuit, quod Deo placuit edere coram toto mundo, in confirmationem Fidei nostræ, per tam illustria &

indu-

indubitata prodigia, tot Regnis vulgata; vt ipse multos audiuerim, qui dicerent, *se iam ne posse quidem, si vellent, animum ad alias religiones adiungere; quia Christianam veritatem iam non Fide solùm acceperint, sed oculis etiam ità perspicuè viderint, vt inficias ire non possint, aut hæsitare, conuicti admirabilitate tot operum Diuinorum, quibus talia coniuncta fuerunt in hoc viro, vt pro totidem prodigijs possint haberi.*

Etenim quis non obstupescat *sanitate* subitò restituta homini iam conclamato? non inquam de morte solùm reuocato ad vitam, sed ad integram simul incolumitatem, nulla relicta viatrice plagæ letiferæ, capillis vno temporis momento subnatis, qui strictim abrasi fuerant, vt locus foret medicamentis. Quis non admiretur, totum hoc factum esse Cælestium vno præsente, & cum infirmo, tot alijs circumstantibus, conferente sermonem? Quis nòn miretur, ideo redditam ei mirabiliter vitam, vt in *Fidei Christianæ martyrio* mox eandem abrumperet, mira comitate hoc indicante ipsi *S. Francisco Xauerio?*

Quis non miretur venerationem, quæ sata est in animis omnium, qui viderunt hominem diuinitus ad beatam *Martyrum* sortem, per tanta miracula, & quasi ante fata esset relatus in Diuos, pro sancto habuerunt, quidquid vsu tractasset, vel pede triuisset? Quis non miretur, perpetuâ telâ connexa sertáque prodigia,

& non

& non cōſuetæ prouidentiæ ſigna, quæ ipſum conſecuta ſunt vſque in *Iaponiam*, tanta facilitate penetratam, cùm eſſet humanitus in acceſſa?

Poſtea verò cùm ſuſpenſi eſſemus expectatione futurorum, quorum ſpem tanto apparatu mirabilium rerum publicè nobis, populóque Chriſtiano videramus portendi, eadémque mox peracta nunciarentur, præ admiratione non auſi fuimus fidem præbere: quòd vix vnquam tale quid accidiſſe ſciremus. Sanè ſi cōtigiſſet ante *mille annorum* tempus, maximo miraculo nobis eſſet; ac poſteaquam euênit ſub oculis noſtris, hac ætate noſtra, viro, quo familiariter vſi fuimus, equidem fateor, me fuiſſe attonito ſimilem. Vidi etiam multos pari admiratione Deum laudantes in ſuis operibus, quæ noſtris conſpectibus mirabiliter obtulit in hoc ſeruo ſuo.

Miracula rerum illius teſtatur *Neapolis* vrbium *Italiæ* frequentiſſima, *Roma* caput mundi *Matritum* ſedes Imperij omnium in orbe ampliſſimi, *Goa* caput *Indiæ*, *Manila* in vltima mundi linea, & qui ex aduerſùm terram inambulant. Terra, mare, ac totius denique mundus teſtatur, quemadmodum Deus illuſtrauerit *S. Franciſcum Xauerium* per glorioſum hunc *Martyrem:* nam omnes mundi partes & elementa ſenſerunt eius prodigia.

Non refero ſepultas antiquitates, non hi-

ſtorias,

ſtorias, quæ demonſtrari non poſſint, ſed quæ vidimus, & fando accepimus ab ijs, qui viderunt, imò & experti ſunt ipſi. Refero, quod accidit noſtro tempore; rem, quæ ſola poſſit illuſtrare hoc ſæculum. Refero, quod Religioſi homines celebrant in ſuis cænobijs, ſæculares in congreſſibus, nauigantes in mari, ciues in domibus, & in compitis. Refero factũ, quod editum in confirmationem Fdei, demonſtrat prouidentiam Dei, immortalitatem animarum, præmia venturæ vitæ, gloriam ſanctorum hominum, virtutem interceſſionis ipſorum, reſurrectionem corporum, robur gratiæ Diuinæ, felicitatem Martyrij, ac totam denique veritatem Fidei noſtræ, aſſertam tot miraculis.

Quæ cùm conſidero, cogitare non poſſum, abitura ſine magna mutatione rerum *Iaponiæ*: quandoquidem Dei ſeruus non ceſſat in cælo procurare felicitatem eius, quam tantis votis, & laboribus in terra degens quæſiuit. *a.* Ex perſonâ, impensè Diuinis obſequijs deditâ, compertum eſt, ante aram oranti apparuiſſe *beatum Martyrem* in veſte *Societatis*, capite raſo in morem *Iaponicum*; qui ſupplex ante aram eandem Deum orauerit pro Conuerſione *Iaponiæ*; & illas preces ſuis ſe auribus audiuiſſe, illúmque ſub oculis ſuis euanuiſſe.

a. *Proceſſ. Manil. fol. 61. p. 2. & fol. 76.*

## CAPVT XXVII.

### *Nonnulla mirabiliter à Deo facta post mortem P. Marcelli.*

NOn cessârunt miracula Viri beati post mortem; nam studiosis illius varia præter naturæ morem beneficia sunt per ipsum tributa, quorum aliqua paucis hîc perstringemus.

*a.* In *Philippinis* mulier toto *triduo grauissima partione* periclitabatur: cùm imposita religiosè capiti eius *imagine*, quam à seruo Dei maritus dono acceperat, continuò magnâ facilitate enixa est. *b.*

Cùm se *Vir Apostolicus* accingeret itineri *Iaponico*, à *Christophoro Martino de Villafranca, Duce & comite* suo, vulgarem, vestem ac pileum acceperat, vt faciliùs occultaretur: eandémq; vestem cum pileo gratijs actis reddiderat ei ex *Iaponia Manilam* reuersuro. Hanc ille postea longè charissimam habuit, quod castissimum serui Dei corpus texisset. Grauissimè autem *capite laborauit* ex gummosis tuberibus, quibus per *annos viginti* plurimâ impensâ nullum inuênit remedium. Quadam die cùm dolor sæuissimus esset, statuit experiri, quod vnicum supererat; ac *pileum*, qui venerandum *caput* pro Christo amputatum operuerat, magnâ fiduciâ sumens, omne malum,

in quo tot annis medici operam perdiderant, ſubitò pepulit, ac ſanus euaſit. Idem in vehementi dolore ex *hernia*, reliquijs eiuſdem, quas venerabatur vt *Martyris*, magna cum pietate ac precedenter admotis, non dolorem tantùm fugauit, vt ſomnum capere poſſet, ſed etiam doloris cauſam & morbum, plena incolumitate potitus.

c. *Domino Laurentio de Olaſſo* dono dederat ſeruus Dei *Crucem Carauacenſem*. Contigit eundem intolerabili dolore capitis vri: recordatus donarij, quod à tanto Dei amico acceperat; & animatus fiduciâ meritorum eiuſdem, admota capiti *cruce* illa, momento dolorem abegit: ſed hîc eâ remotâ mox iterum iterúmque reuerſus, donec tertiùm adhibita cruce manifeſtum fuit, non alteri cauſæ ceſſiſſe, quàm Deo id gratiæ facienti ſuo amico, inuocato ab ægro. Eidem dederat pauxillum de ligno *S. Crucis*, quo *S. Xauerius* plagam ſibi ſanârat *Neapoli*. Id ille reliquiariæ thecæ impoſitum cùm fortè perdidiſſet, non ſinebat ſibi mœrorem de tanta iactura demi ex pectore, donec venerabili *P. Marcello* re commendata, biduò pòſt ſacerdos quidam, quod amiſerat, retulit, ipſéque non aliter, quàm per miraculum (vt res adiunctæ perſuadebant) à Deo ſibi redditum gratus accepit.

Prætereo alia quædam admiranda celebrata per *Hiſpanias*, quod nondum publicam fidem

dem ab ijs, quorum eſt ea *cenſura*, adepta ſint; quia non alia in hac hiſtoria memorare animus fuit, quàm certiora & comperta aliquo teſtimonio publico. Et ſic omiſſis alijs, quæ ità nominari audiui, miraculis, tantùm narrabo *tria* vel *quatuor* memoriâ digna, quòd non ſine ſpeciali prouidentia Numinis videantur accidiſſe.

Cùm diſcederet *Matrito* felix *Pater*, promiſit *Comiti de Penna florida*, aliquo ſigno ſe oſtenſurum, quòd eius apud Deum ſit memor. Lætus accepit promiſſum, iámque expletum id eſſe, minimè dubitat. Nam cùm laboraret *febri quartana*, decimo ſeptimo die Octobris eâdem ipsâ horâ, quâ *Marcello* caput eſt amputatum, morbus ab eo diſceſſit, neque redijt amplius. Quod ipſe habuit primo ſigno ſibi promiſſo.

Vxor *Domini Franciſci Ramirez*, Præfecti carcerum animam agebat ex *proluuio ſanguinis*, quod alteri malo graui ſuperuenerat, itaque copioſum erat, vt impletis iam *cyathis duodecim*, nec remedium neque ſpes vlla reſtaret. Nunciatur illi tum abſenti curriculò, vt feſtinet, ſi vxorem ſpirantem velit videre. Aduolat confeſtim, domúmque ſuam ingreſſus prius quàm viſat vxorem, è ſcrinio ſuo promit *chirographum P. Marcelli*, magnáque fide imponit ægrotæ. Tum ſubitò *conſiſtere*

 *ſan-*

*sanguis*, & illa meliùs habere, magna cum admiratione omnium.

*Maltriti* in monasterio de *Calatraua*, monialis *vlcere pestilenti* correpta iam desperabatur. *Pater* quidam è *Societate*, illi notus, cogitans, ecquid leniendis maximis doloribus eius mitteret potissimùm, non aliud reperit, quàm *reliquias P. Marcelli*. His non *dolor* tantùm sedatus est, malúmque domitum, ne procederet; sed etiam integra subitò *valetudo* refecta.

Dominus *Nicolaus Grixalua*, à secretis Marchioni de Puebla, obtinuerat *scripturam* à manu serui Dei *Olyssippone* soluentis in *Indiam*. Eâ *scripturâ*, viuo etiamnum *P. Marcello* sanauit, quibus eam cunque adhibuit. Quondam igitur vno, cui illam præbere voluerat, non tamen citò attulerat, mortuo, plurimùm confirmatus est in fide meritorum *P. Marcelli*, & gratiæ, qua in cælo valeret, quando illâ gaudere non potuit is, cui *chirographũ* eius admotùm non fuerat, vtiq; non sine singulari Prouidentia Dei.

Atque hæc talia illi, quibus euenerunt, quíque suis oculis aspexerunt singula, nõ dubitarunt habere pro *miraculis*. Ego, qui eorum adiuncta ignoro, neq; veritatem compertam habeo, censeo saltem aliquid eis inusitatum inesse, ac sufficientes in eis inueniri causas pietatis, & laudis Diuinæ: non tamen defunct

huic

huic hiſtoriæ ſufficientia *miracula*, quæ mereantur elegantiorem ſcripturam.

Infinitas interim gratias ago diuinæ Maieſtati pro eo, quod mihi conceſſit videre, ac ſcribere: rogóque *S. Franciſcum Xauerium*, vt poſteaquam iſtuc officij qualiſcunque exhibere licuit ſuo clienti, me quoque in ſuam tutelam recipiat, illius vitæ ac mortis imitatione dignatum. Confido quoque, qui tanta me voluntate complexus eſt viuens, non mihi denegaturum *patrocinium*, quod eum in cælo degentem popoſcero.

a. *Proceſſ. Manil. fol. 28.* b. *ibidem fol. 55. p. 2.* c. *ibidem fol. 66. & 156. p. 2.*

---

## CAPVT XXVIII.

### *Catalogus eorum, qui è Societate IESV pro fide interfecti ſunt in Iaponia, vſque ad mortem P. Marcelli.*

Beata mors ſerui Dei *Marcelli* cumulat ſplendorem ac gloriam *Iaponicæ Eccleſiæ*, quando tot inſignium *Martyrum* tam popularium, quàm aduenarum *Religioſorum* ex *Ordinibus Sanctorum Dominici*, *Franciſci*, *Auguſtini*, & *Societatis*, exempla veteris Eccleſiæ *Martyrum* heroicis exemplis contrà clara, per totam *Europam* dilata, tùm alios multos, cùm etiam *P. Marcellum* ad imitationem prouocauerunt. Longum eſſet meminiſſe omniũ

*Religiosorum*, qui in illis *Regnis* passi sunt pro Christi præconio, tantùm annotabo eos, qui è *Societate IESV* gloriosas animas amiserunt pro suo Redemptore; quorum notitia valebit ad intelligenda nonnulla, quæ occurrebant in hac historia felicissimi *P. Marcelli*, qui in eorum corona gemma est non ignobilis, illorum velut in exemplo propositam constantiam. & feruorem imitari conatus. Neq; molestum erit *Lectori*, nomina eorum his attexta legere, qui cùm descripti in *libro vitæ* fulgeant inter Angelos, fidei suæ in Deum, & charitatis præstantiâ, meriti sunt etiam memoriam hominum.

*Primi* omnium, qui in *Iaponia* pro Christi nomine morti occubuêre, fuerunt *quatuor Patres*, qui cùm innotuisset *Taicosama* Imperatoris odium aduersùs *Religiosos*, ac desiderium eos *Iaponiâ* extirpandi, gratiæ apud illum ac suos Deos ineundæ caussâ *Firandi an. 1594.* ab Ethnicis clàm præbito sibi veneno sublati sunt; quod publicè mactari sine certa Christianorum Procerum vindicta non possent.

I. *P. THEODORVS MANTELES.*

II. *P. IOSEPHVS FORNALETVS.*

III. *P. FRANCISCVS CARNAVS.*

IV. *P. GEORGIVS DE CARAVAIALE.*

Intra *quatuor dies* extincti sunt continuo fluxu sanguinis, illo genere veneni procurari soli-

ſolito in *Iaponia*. Omnes quatuor multos annos magno cum feruore vitam Religioſam traduxerant, ſtudioſiſſimi ſalutis animarum, & conſummatæ virtutis. Hi *primi* ſuſtulerunt *palmam* in illa *Eccleſia*, vt antiquis hiſtorijs perhibetur, *P. Luiſij Guzmani*, & *R. P. F. Marci de Guadalayara* in ſuo Pontificali.

Sequentes autem publicâ ſententiâ pro Chriſto condemnati ſciuntur ex editis relationibus, & *Epiſtolis Martyrum* ipſorum, ac teſtimonijs eorum, qui viderunt, & approbati ſunt *Macai à P. Antonio Cardine*, *Rectore Collegij*.

V. *B. PAVLVS MICHI*, *Iapon*, *Abæ natus*, illuſtri ſanguine, Concionator inſignis, egregius operarius in Vinea Domini, peracceptus Proceribus *Iaponiæ*, manſuetudine, modeſtiâ, humilitate, & charitate eximia, charus omnibus, & vnus è *primis* alumnis *Iaponici Seminarij*; multos Gentiles ad noſtram ſanctam Fidem traduxit. Captus *Ozacæ* in perſecutione *Taicoſamæ* cum alijs *duobus Fratribus è Societate*, ac truncatus aure ſiniſtra, carro per ciuitates *Meacum*, *Ozacam*, & *Cuzaium*, deportatus eſt *Nangaſachium*, & iuſſu *Taicoſamæ* Præſide *Facaburo cruci affixus, lanceiſque tranſfixus eſt*, quòd Fidem Chriſtianam prædicâſſet. *Socios* habuit *ſex Franciſcanos*, *ſedecim Iapones*, ac *duos Fratres è Societate*. Toto verò itinere ducentarum leucarum, terrâ marique

non cessauit prædicare Fidem Christi, contestando Gentilibus, nullam salutem sine ipsa sperandam, Christianos autem *Iaponios* ad eam retinendam hortando. Denique veniâ omnibus datâ, qui sibi causa necis fuissent, eam alacritate magna obiuit *5. Febr. 1597. Ab Vrbano VIII.* Martyr renunciatus *10. Iulij 1627.*

VI. *B. IOANNES DE GOTO, Iapon, Gotensis,* Catechista, singulari vitæ innocentia & integritate, à *B. Paulo in Societatem* acceptus, eadem simul cum ipso sustinuit. De *cruce* valedicens parenti, qui adstabat, hortatus est eum ad seruandam Legem Diuinam.

VII. *B. IACOBVS QVISAI, Vigensis, Iapon,* multæ pietatis, optimíque exempli multis annis Ianitor fuit, eâ modestiâ, vt in *Martyrio* cuidam petenti se linteolum, quod pro *reliquijs* asseruare cogitabat, negârit, asserens *peccatorem se esse.* Socius prædictorum victoriæ.

VIII. *P. IACOBVS MESQVITA, Lusitanus, Meianfriensis,* nobili prosapia, & magna virtute ornatus, orationi & mortificationi plurimùm deditus, ingenti studio animarum, & charitate, tam sibimet rigidus, quàm omnibus alijs benignus; in *Iaponum* conuersione sudauit *annis 38.* compluribus in regendo *Collegio Nangasachiensi*, plurimùm in *Iaponia* rem Christianam promouit; & ex ea primitias Legatorum *Francisci Regis Bungi*, ac

Pro-

*Prothasij*, & *Bartholomæi Regum Arimæ* & *Omuræ* ad pedes *Gregorij XIII.* adduxit. Redux, in *Iaponiam Daifu* Christianos persequente, in exilium deportatus est, vbi confectus laboribus, ærumnis, & rerum necessariarum penuriâ, sanctè pro Fide obijt in exiguo tugurio piscatorum, Præside *Fage Gauasafieye. 4. Nouembr. 1614.*

IX. *P. ANTONIVS FRANCISCVS CRITANA*, *Castellanus*, natus *Almodauare Campi*, magnæ virtutis & sanctitatis, orandi perquam studiosus, deuotissimus *SS. Trinitati*, ac *Deiparæ Dominæ nostræ annis 28.* positis magno cum feruore in Conuersione *Iaponiæ*, magnóque numero Gentilium baptizato, in persecutione *Daifu* dum *Manilam* deportaretur, squalore & incommodis nauigij ad laborum exantlatorum ærumnas accedentibus, sanctè obijt in itinere *28. Nouembr. 1614.*

X. *MANCIVS MISOQVE DOY*, *Bungensis, Iapon*, oppidò religiosus, pius ac deuotus, laborauit multis annis magno zelo & exemplo in excolendis Christianis, & conuertendis numero magno Gentilibus. In persecutione *Daifu* latuit in *Iaponia* singulari solatio Christianorum, in quorum cura dum plurimum patitur, à Deo euocatus est ærumnis mortem ei creantibus, *in Februario Anni 1615.*

XI. *PAVLVS RIOIN*, *Iapon*, *Lauteuxi-*

*renſis, è Regno Fingano,* in primis Religioſus, pius & humilis, ob ſinceritatem, charitatémque peracceptus fuit non Chriſtianis tantùm, ſed etiam Proceribus Ethnicis, & ipſi adeò *Cubo.* Laborauit magno fructu & exemplo in conuerſione popularium: & incredibili labore exhauſto cum admiranda cónſtantia multos conuertit. In perſecutione *Daifu* relegatus *Manilam* cum ſocijs, incommodis cæli victúſque inſueti, quem ſtomachus renuebat, poſt impenſos magno fructu *annos 40.* in ſuorum ſalutem, ingenti gaudio ſuó mortuus eſt *17. Februarij 1615.*

XII. *MATTHIAS SANGA, Cauachenus, Iapon,* magnæ virtutis, modeſtiæ, ac pietatis, egregio zelo & religione, laborauit *26. annis* in conuerſione ſuorum popularium, catechiſmo & concione cõuertendo quàm plurimos. In perſecutione *Daifu*, deportatus *Manilam*, per inclementiam auræ inſuetæ grauem morbum incurrit; quo etiam breuì ſanctè extinctus eſt *24. Febr. 1615.*

XIII. *ANDREAS SAYTO, Bungenſis, Iapon,* valde humilis & amans paupertatis, *19. annis* magno zelo & exemplo inſudauit conuerſioni ſuorum, & Gentiles quidem permultos conuertit, Chriſtianos autem excoluit, & erudiuit verbis & exemplis. In perſecutione *Daifu Manilam* ablegatus, incommodis viæ, & auræ inſuetæ confectus magna cum

ala-

alacritate sanctè obijt in exilio *28. Febr. 1615.*

XIV. *P. MANCIUS FIMBAXIXI, Iapon*, religiosissimus, patientiâ, & charitate præstante, quamdiu vixit in *Societate*, magno ardore laborauit in conuersionem *Iaponum*; permultis eorum ad Fidem perductis & baptizatis; in persecutione *Daifu*, delituit in *Iaponia* ad opem Christianorum. Sed propter magnas ærumnas persecutionis, & inopiam necessariorum, in grauem incidit morbum; vidénsque supremum diem suum appetere, inter medios dolores, præter morem lætatus est, & quòd pateretur pro Christo, & quòd eiusdem Virginísque Sanctissimæ breuì potiretur aspectu, identidem repetens illud S. Iob: *Hæc mihi sit consolatio, vt affligens me dolore non parcat.* Sanctè obijt *31. Martij 1615.*

XV. *MANCIUS TAIECHICU, Fingensis, Iapon*, perquam religiosus ac deuotus occupabatur pingendis sacris imaginibus, magno cum *Iaponũ* fructu. In persecutione *Daifu* æger impositus est naui, ac delatus *Macaum*. Vbi per incommoda viæ, & inclementia cæli aucto morbo lætus obijt, exul pro Domino. *Die 20. Ianuarij. Anno 1616.*

XVI. *P. IOANNES BAPTISTA DE MACHADO ET TABORA, Lusitanus, Angra* in insula *Tertia* nobilibus parentibus ortus, à puero multæ virtutis, postea Religiosus insignis, cùm *octennio* per varia Regna *Iaponiæ*

magno

magno animarum, vt conquirendarum ardore, sic etiam fructu cursasset; in persecutione *Daifu* magno solatio Christianorum delituit. Captus postea in Insula *Goto*, dum confessiones Christianorum exciperet, *Omuram* delatus est in carcerem, vbi multos conuertit, & erexit labantes in Fide, inter eos *Gubernatorem Linum Tomanangam*, paulò pòst *Martyrem*. Auditâ sententiâ mortis, dixit, *tres* sibi *dies* in vita iucundissimos illuxisse, quo receptus est in *Societatem*, quo captus pro *Fide*, quo denique *moreretur* pro eadem. Tertio *ictu*, socio vno *Franciscano*, illi caput abscissum est ex mandato *Omurandoni*, quòd Legem Christianam prædicasset, Præside *Lino Tomananga*. 22. *Maij*. 1617. supra vtriusque corpus, multis noctibus, *duæ stellæ*, singulari splendore ac pulchritudine visæ sunt à multis Christianis & Gentilibus. Cùm ergo magnus ad eorum sepulchrum accursus fieret, iussit *Omurandonus* ea in mare proijci cum alijs *duobus Religiosis*, vno *S. Augustini*, altero *S. Dominici*, etiam interfectis pro Christo.

XVII. *LEONARDVS CHIMVRA*, *Firandensis*, magnæ humilitatis, patientiæ, charitatis, & misericordiæ, 17. *annis* in Religione plurimùm allaborauit conuersioni suorum popularium. Captus in persecutione *Daifu*, conuertit ac baptizauit multos Gentiles in carcere, & confirmauit Christianos eo trien-

nio,

nio, quo fuit in vinculis, quæ præclaris virtutũ exemplis illustrauit. Postea productus ad *Gubernatorem*, cùm ad Christum deserẽdum spes vitæ ipsi obiecta fuisset, maluit eam pro illo abijcere. Ergo *Nangasachij* cum *quatuor* alijs *Christianis* viuus crematus est, spectante *trigintamillium* hominum corona: quibus non cessauit prædicare Legem Diuinam, Christianos ad eam seruandam, lapsos ad resumendam hortatus: cúmque iam arderet, negabat se ignem sentire; ideò non antè concionari, quàm viuere desijt. *18. Nouembr. 1619.*

XVIII. *AMBROSIVS FERNANDEZ*, patria *Sistensis*, *Oportanæ Diœcesis*, Vir multæ orationis & mortificationis, ab omnibus pro Sancto est habitus, *43. annos* in Religione fuit, magno adiumento *Patribus Iaponiæ*, quibus ità ministrauit in temporalibus rebus, vt summo esset omnibus exemplo domi forísque. Post innumeros labores Dei amore exhaustos, martyrij sitiens, captus est *Nangasachij* in persecutione *Daifu*, & in carcerem datus *Omuræ*; quòd, cùm esset homo religiosus, contra mandata Imperatoris mansisset in *Iaponia*. Describi non possunt ærumnæ, quas biennio sustinuit in arctissima illa custodia; in qua etiam sanctè obijt, receptis priùs *6. Ianuarij 1620. Diuinis Mysterijs*, magnóque cum desiderio potiùs in magno rogo moriendi pro Christo.

*P. MAN-*

XIX. *P. MANTIVS BARRETVS*, *Lusitanus*, magnæ virtutis, charitatis, & spiritus, operarius insignis & indefessus, insudauit *Iaponiæ annis 30.* conuertendo & baptizando multa millia, per varia regna. In persecutione *Daifu* latuit in *Iaponia* ad solatium Christianorum, sacramentis, adhortationibúsque confirmando omnes in Fide. Tandem grauibus incommodis, ærumnis persecutionis, & inopiâ necessariorum in grauem incidit morbum, sacris ritè munitus animam, quam in rogo optabat, sanctè exhalauit. *11. Martij. 1620.*

XX. *P. IOANNES DE FONSECA*, *Lusitanus*, *Olyssipponensis*, magnæ virtutis, orationis, mortificationis, charitatis, & spiritus, laborauit in *Iaponia 16. annis*, Zelo ingenti, quo multos Gentiles conuertit, & excoluit Christianos *Arimæ*. In persecutione *Daifu* delituit in *Iaponia*, magno Christianorum solatio, quos sacramentis, & omni, quo potuit modo confirmabat, quoad in commodis ærumnísque continuis, & penuriâ necessariorum subactus, morbo graui, cùm rogo mallet, post *sacramenta* ritè percepta, Deo spiritum reddidit. *29. Septembris. 1620.*

XXI. *AVGVSTINVS OTA*, *Gotensis*, *Iaponius*, *20. annis* magno Zelo & exemplo *Patres* in conuersione popularium laborantes adiuuit, catechesin docendo, & Ecclesiæ cuius-

cuiusdam curam gerendo. Postea socius *P. Camilli Constantij*, comprehensus in persecutione *Xoguni*, eodem imperante magnâ constantiâ capite plexus est in *Yquisla Firandi. 10. Augusti. 1622.*

XXII. *P. CAROLVS SPINOLA*, *Genuæ* natus illustri genere, rara virtute, sanctitate, ac Zelo animarum, magnus contemptor sui & natalium, fuit perquam obediens, mortificatus, mansuetus, patiens, & maximæ charitatis; insudauit *Iaponum* conuersioni copiosissimo fructu *annis 20.* vltimos *quatuor* consumpsit in carcere *Omurano*, vbi passus est magnas ærumnas, miserias, famem, frigus, & alia, *socijs* omnibus, *religiosis*, & alijs, inusitato virtutis exemplo. Assatus est viuens lento igne *Nangasachij* ex mandato *Xoguni*; *socijs P. Sebastiano Chimura*, & *septem alijs Fratribus è Societate*, aliísque *Religiosis*, & *sæcularibus*, magno numero: Vnde in *Iaponia Martyrium* id *magnum vocatum* est. Præparauerat sibi album vexillum, cum quo ad rogum volebat procedere; sed ministri suppliciorum id eripuerunt illi è manibus, neque permiserunt gestare. Alligatus columnæ magno spiritu sermonem habuit ad concionem spectatorum plusquam *30. millium*, contestans, magna se alacritate mori pro lege, quam docuerat; & quia multùm auctura sit persecutio, cunctos hortatus est ad constantiam in *Fide Christiana*, sine qua

*salus,*

*ſalus* obtineri non poſſit. Atque ita magna cum lætitia pſalmos cantando animam Deo reddidit *die 10. Septembris anno 1622.* Præſide *Fagageua Conrocu.*

XXIII. *P. SEBASTIANVS CHIMVRA, Iappon, Firandenſis,* multæ vir patientiæ, mortificationis, ac pietatis; primus ex ea gente ſacerdotio præditus, concionator eximius, *40. annis* in Religione ſuorum ſaluti conſecratis, conuertit ac baptizauit multa millia. Captus *Nangaſachij* in perſecutione *Daifu,* eaſdem cum *P. Spinola* carceris ærumnas *Omuræ,* & poſtea mandato *Xoguni* flammas ſuſtinuit; & in rogo concionando, pſalmóſque cantando *10. Sept. 1622.* vitam abſoluit.

XXIV. *CONSALVVS FVSAI, Vigenſis Iapon,* multis annis *Patrum* adiutor fuit, cum magna virtute & exemplo. In perſecutione *Daifu,* mulctatus exilio, deſiderio Chriſtianos iuuandi redijt in *Iaponiam,* & in monte vicino vrbi *Nangaſachio,* cum *Petro Sampo, Antonio Quiuni,* & *Michaële Tumpo,* vitam cæleſtem egit, in oratione & alijs exercitijs pietatis, verbis & exemplo animando populares. Captus cum *ſocijs,* ac demum in carcerem *Omuranum* coniectus, vnius anni ſpatio plurima paſſus eſt propter ſuas exhortationes, & libros ſpirituales diſtributos *Iaponijs.* Magiſtrum habuit *P. Carolum Spinolam,* cum quo lentis ignibus crematus eſt *10. Septembris 1622.*

PE-

XXV. *PETRVS SAMPO, de Oiu, Iapon*, multæ exiſtimationis apud *Iaponios* propter nobilitatem, & alia ſua ornamenta inſignia. Excelſo animo ſpes amplas aſpernatus, Deo ſe conſecrauit in *Societate*, vbi multa documenta dedit humilitatis, aliarúmque Virtutum: ſub *Daiſu Macaum* exactus in exilium cum alijs *Patribus*, rediјt in *Iaponem*, quà poſſet cum tribus *ſocijs* ſuos adiuturus: quibuſcum captus in illo monte, carceris *Omurani*, & lenti ſimul ignis cum *P. Spinola* particeps factus eſt magno cum ſuo gaudio & conſtantia.

XXVI. *ANTONIVS QVIVNI Micabenſis*, multis annis *Patres* adiutauit cum magna virtute & exemplo, ab exilio *Macaënſi* ſub *Daiſu* reuerſus in *Iaponiam*, cum *ſocijs* tribus in monte *Nangaſachiano* ad omnem perfectionem ſe exercens, *Omurano* ſimul cauere, flammíſque cum *P. Spinola* dignatus eſt eadem ex cauſa.

XXVII. *MICHAEL TVMPO, Oaxienſis, Iapon*, 12. *annos* in ſeminario fuit, cui parentes eum, antequam naſceretur, addixerant; raræ virtutis & exempli, ab exilio *Macaënſi* redux ad opem ſuis ferendam ſub *Daiſu*, vnius anni ſpatio eodem cum *P. Spinola* carcere, & poſtea flammarum Societate gauiſus eſt.

XXVIII. *THOMAS ACAFOXI, Fingenſis*, damnatâ militiâ ſæculi, pro Chriſto laborantes *Patres annis* pluſquam 20. adiuuit

magno cum exemplo. In persecutione *Daifu* cum illis *Manilam* in exilium iuit, sed cum *P. Sebastiano Chimura* reuersus in *Iaponiam*, triennio carcerem *Omuranum* cum *P. Spinola*, & lentum denique ignem pro Fide passus est, ingenti constantia.

XXIX. *LVISIVS CABARA, Ariensis, Iapon*, quòd nollet à fide desciscere, *Arimandoni*, cuius cubiculum curabat, seruitio terrísque eiectus est, bonis redactis in fiscum. Ita se pietatis studio dedidit, vt ab omnibus haberetur pro sacerdote: ac propterea *ter* abreptus est in vincula, *ter* prohibitus Legem Dei prædicare, sed negabat videlicet se in hoc obtemperare posse iudicibus. Ergo missus in *Omuranum* carcerem, plurima pro fide, magistro, & moderatore *P. Spinola* passus; cum eodem viuus crematus est lento incendio.

XXX. *IAONNES ECONGOCV, Iamanguchianus, Iapon, 20. annis Patrum* adiutor, summa cum patientia & charitate propter Fidem comprehensus, *cum P. Spinola 4. annorum* squalorem & ærumnas *Omuranas* sustinuit. Postea in eius conspectu capite plexus est, quòd columna, ad quam cremaretur, deesset.

XXXI. *P. CAMILLVS CONSTANTIVS, Cosentinus, Italus*, obedientiæ, mortificationis, & regularum obseruantissimus, maximi spiritûs, virtutis, & charitatis; *10. annos* magno

fructu impendit *Iaponiæ*; à *Daifu Macaum* relegatus est. Sed occultè reuersus dum Prædicationi Christi dat operam, in Insula *Goto* comprehenditur, & *Firandi* iussu *Xoguni* viuus crematur, videntibus multis *Hollandis hæreticis*, quibus è rogo demonstrabat veritatem *Ecclesiæ Romanæ*, extra quam salus obtineri nõ potest: pro argumento suæ orationis illa Domini verba proponens: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus*, &c. Et sic vitam concionando canendóque finiuit *15. Septembr. 1622.*

XXXII. *P. PETRVS PAVLVS NAVARRVS*, *Italus*, *Laineusis*, è Regno *Neapolitano*, à magna virtute & rara sanctitate notus omnibus, habitúsque pro viro sancto, perdoctus *Iaponici* sermonis, *36. annis* per varia eius Regna maximo labore collegit vberrimos fructus, baptizando multa Gentilium millia, ac primus omnium Fidem Christianam docuit in *Regno Ylensi.* Multis diebus propter persecutionem solitus in cauerna delitescere, suo tempore prodiens magno animarum bono, lapsos erigendo, cõsolando mœstos, & omnes animando ad constantiam. Quare comprehensus in *Regno Arimæ* cum *tribus socijs*, mandato *Xoguni Ximabaræ* propter *Euangelium Christi* viuus crematus est, magna cum iucunditate & constantia, *1. Nouembris 1622.* Præside *Bungadono*, *Arimæ Domino*, qui cum locutus est de sancta Fide nostra, cuius etiam ratio-

nem ei ſcripto tradidit; quod ille viſus eſt ma-gni facere.

XXXIII. *DIONYSIVS FVIXIMA, Ditionis Arimenſis, Iapon*, deſeruit ſuos parentes propter verbera, quibus eum à Fide Chriſtiana deterrere volebant. Perquam deuotus & orationi deditus, & *ſocius P. Petri Pauli Nauarri*: cùm autem præſens non fuiſſet, quando ille capiebatur, domum reuerſus vltrò ſe iudicibus obtulit, aſſerens ſe *ſocium* eſſe illius; cui etiam in flammis eſt iunctus.

XXXIV. *PETRVS VNIZVCA, Iapon*, Ditionis *Arimenſis*, à puero aſſueuerat *Patribus*; valde prudens, manſuetus, & charus omnibus, multis annis eorum adiutor fuit in Fidei propagatione, donec captus cum *P. Nauarro*, multa verbera in carcere pro eadem Fide conſtanter accepit, ac demum ſimul cum eo viuus crematus eſt.

XXXV. *P. HIERONYMVS DE ANGELIS*, *Ennæ in Sicilia* natus, magnæ humilitatis & charitatis, inſatiabili zelo animarum laborauit *22. annis in Iaponibus* conuertendis, fructúſque vberrimos reportauit in regia *Fuxima, Surungæ*, & *Yendo*; ſine omni requie multa Regna diſſimulata veſte obeundo, peruênit ad ipſos *Iaponiæ* fines, & quò nondum *lux Euangelij* penetrârat, ſuperatis itineribus aſperrimis, altiſſimis niuibus; fame frigoréque intolerabili. Primus *Yezum* in *Tartariam Orien-*

*talem*

*talem* abijt, vbi ad Fidem conuertit multa millia: in vna ciuitate *Oxa* ſupra decem millia baptizauit. *Tezi* in *Tartaria* Gubernatori ſe ſtitit, rationem ei ſanctæ Legis noſtræ daturus. Demum poſt dirum carcerem iuſſu *Xoguni*, cum vno *Fratre è Societate*, & alio *Patre Franciſcano*, aliiſque *Chriſtianis 47. die 4. Decembris 1623.* viuus crematus eſt in conſpectu totius Curiæ *Yendo*, magno cum ſtupore infidelium. Concionabatur autem ſingulari ſpiritu è medijs flammis, coram ingenti multitudine, quæ vndique ad ſpectaculum confluxerat, oſtendens omnibus, non aliunde ſalutem æternam ſperandam, quàm ex Lege Chriſti à ſe tradita.

XXXVI. *SIMON IEMPO, Fingenſis, Iapon, 25. annis* magna humilitate & exemplo in munere Catechiſtæ *Patres* adiuuit, quibuſcum in perſecutione *Daifu Manilam* in exiliũ eſt amandatus. Sed reuerſus in *Iaponiam* anno ſequente, *P. Hieronymi de Angelis* laborum, carceris, Martyrij, & Victoriæ ſocius fuit.

XXXVII. *P. DIDACVS CARAVALLIVS, Conimbricenſis Luſitanus*, manſuetus, comis, humilis, charitate affluens, maximi ardoris in conuerſionem *Iaponum*, in qua deſudauit *15. annis*. In perſecutione *Daifu* relegatus *Macaum*, occultè reuerſus eſt in *Iaponiam*, ingenti fructu animarum diuerſa eius regna peragrando, baptizauit multa millia. *Ter* manife-

ſto vitæ periculo excurrit ad viſendos & animandos exules in *Tecigaru: bis Tezum* in *Tartaria* Orientali profectus, omnium Sacerdotum primus ibi Deo litauit & erexit *Eccleſiam, Aquitæ* & *Yembocu*; luſtrando Regna Septentrionalia ſuſtinuit intolerabilia frigora, & per vias fragoſiſſimas, altiſſimásque niues penetrauit, peſſimo victu. Comprehenſus pro Fide, cum nouem *Iaponibus*, aquæ glacialis tormentum tribus horis tolerauit, extinctis in eo duobus ſocijs: poſtea iterum duodecim horis omnes animauit, ne frigus illud metuerent. Poſtremò cùm nihil omnino timoris oſtendiſſet in eo ſupplicio, ſed conſtanter perexiſſet Fidem Chriſtianam docere, vltimus omniũ extinctus eſt in ciuitate *Xendai*, Præſide *Datemaſamuaco 24. Febr. 1624.*

XXXVIII. *P. MICHAEL CARAVALLIVS, Luſitanus Bragenſis*, vir affabilis, charitate maxima, & apprime tolerans, cùm pluribus annis Theologiam docuiſſet in Collegio *Goano*, profectus in *Iaponiam* eſt in ipſo perſecutionis æſtu, & aliquot annis in iuuanda illa Chriſtianitate conſumptis, magno zelo, feruore, & charitate, multos lapſos reſtituit, fideles muniuit Diuinis Myſterijs, & omnes animauit. Captus *Omura*, nomen aſſumpſit *captiui pro ſuis peccatis*, quod pro Chriſto captiuum dici nimis putaret magnificum. Ibidem iuſſu *Xoguni* viuus crematus eſt cum 4. *a-*

*lijs*

*lijs Religiosis*, psalmos decantans, & Christum deprædicans. *25. Augusti. Anno 1624.*

XXXIX. *P. IOANNES BAPTISTA DE BAEZA*, *Hispanus Vbedensis*, fuit perquam humilis, prudens, & spiritualis, concionandi gratiâ singulari: qua cùm *Goæ Mozambici*, & *Macai* multos iuuisset, *annos 36.* impendit *Iaponiæ*, per varia eius Regna, magno ardore conuertendo, & baptizando multa infidelium millia. Fuit *Vicarius Generalis Episcopi Luisij Zerqueiræ*; quod munus magna cum laude, prudentia & fructu animarum obiuit. In prima persecutione *Daifu* latuit in *Iaponia*, sed in secunda ex continuis ærumnis, & mutatione locorum, defectúque necessariorum in graues morbos ac dolores incidit, inter quos integro anno in cista per varia loca deportatus est à Christianis, ne deprehenderetur. Perceptis tandem sacris omnibus, *Nangasachij 7. Maij 1626.* cum desiderio flammarum sanctè obijt; ad quas, cognita eius morte, Gentiles conquisiuerunt quidem corpus, sed *Prouincialis* & *Gubernator Diœcesis*, *P. Franciscus Pacecus*, qui captus attinebatur pro Fide, præcepit è vinculis, vt magna cum reuerentia sepeliretur, tanquam corpus magni *Martyris*; pro quali ab omnibus est habitus, vtì etiam alij in *Iaponia* propter *Fidem* ærumnis consumpti, quòd eis animus ad *Martyrium* nequaquam defuerit: nam causa, cur se non pro-

derent, vnica fuit, ne grauiora Christianis ob. orirentur incommoda.

XL. *P. GASPAR DE CASAR*, *Bragensis Lusitanus*, deuotissimus *Deuino Sacramento* fuit, & maximæ charitatis erga infirmos. Añis octodecim laborauit in *Iaponia* magno ardore fructúque. In persecutione *Daifu Macaum* relegatus redijt, multúmque totis his annis fideles adiuuit, inter continuas ærumnas, fugas, & latebras, dum continuò ab hostibus fidei nostræ conquiritur. Cùm igitur in graues indè infirmitates delapsus, videret imminere sibi horam supremam, vtcunque optaret per ignes, ritè perceptis *mysterijs*, inter dolores est mortuus *7. Maij 1626.* iussítque *P. Pacecus Prouincialis*, & *Administrator Diœcesis Iaponicæ*, tum vinctus pro Christo, eum honorificè sepeliri vt *Martyrem*; quando expresso præcepto suo prohibitus esset se offerre Tyrãnis, nequid grauius inde paterentur fideles.

XLI. *P. FRANCISCVS PACECVS*, *Lusitanus*, nobili sanguine de *Ponte Lima*, *Archiepiscopatûs Bragensis*, humilitate, mortificatione, & contemptu sui & natalium, patientiâ, oratione, spiritúque insignis, *Theologiam* in Collegio *Macaënsi* docuit, magna cum gratia, rexítque Collegium illud, ab omnibus cultus pro sancto. Octodecim annos consumpsit in varijs Regnis *Iaponiæ*, plurimo animarum profectu; *ter* eiectus in *Macaum* in perfecu-

secutione *Daifu,ter* eódem occultè reuersus. *Vicarium Generalem Episcopi Iaponiæ, Luisij Zerqueiræ*, postea etiam *Diœcesis Administratorem*, & *Prouincialem* egit, magna cum prudentia, zelo, & sanctitate, quaquauersus sæpe nudis pedibus discurrendo. Comprehensus *Cochinozi*, multa tulit in carcere septem mensibus: vbi non raró contigit, vt cùm in cibum præbita ei esset nigra oryza, sub manibus eius verteretur in albam, cum admiratione custodum. Crematus est *Nangasachij* cum octo alijs è *Societate*, magnâ constantiâ & alacritate, psalmos, laudésque Diuinas decantans, *die 20. Iulij. 1626.* imperante *Xogun*, Præside *Midsanocabachi*.

XLII. *P. IOANNES BAPTISTA ZOLA*, *Italus Brixiensis*, magni exempli, virtutis, & sanctitatis, humilitate, obedientia, mortificatione, & charitate præclarus. *Nouemdecim annis* magno & studio & fructu laborauit in *Iaponia*. In persecutione *Daifu Macaum* relegatus, redijt nouo spiritu, consolando, & sacris procurando Christianos, erigendo lapsos, & omnes ad constantiam adhortando. Captus *Ximaboræ*, cùm alligassent sibi manus, petijt etiam funem inijci collo. Crematus est viuus *Nangasachij* cum *P. Paceco.*

XLIII. *P. BALTHASAR DE TORRES, Granatensis, Hispanus*, nobilis & sanguine fuit, & rara virtute, humillimus, & viuum

S 5 exem-

exemplum obedientiæ. *Macai Theologiam* cum laude professus, *Iaponiæ 26. annos* continuos dedit, per varia Regna discurrens, & baptizans multa hominum millia. In persecutione *Daifu* multùm inquisitus, non sine miraculo euasit ex munitione *Osacana*, cùm eam succendisset Tyrannus. Exiuit enim per medium illius exercitum cum duobus socijs, quorum alteri ante suos oculos caput abscissum, & Pater ipse penitus denudatus est. *Nangasachij* mansit *sex annis* continuis in persecutione perpetua, nullo angulo satis tutò consistens; interim *Sacra* ministrabat fidelibus, desertores reuocabat, omnes animabat ad constantiam, & causas dubiáque conscientiæ resoluebat. Comprehensus propè ciuitatem eandem, dum *Sacris* operatur, *Omurano* carceri mancipatus est, viuúsque crematus cum *P. Paceco.*

XLIV. *GASPAR SADAMATZV*, *Iapon*, ditionis *Omurensis*, humilitate, patientia, & charitate conspicuus fuit; *44. annis* in Religione incredibiles, pro conuersione suorum, ærumnas, & persecutiones sustinuit, varia Regna obeundo, multósque conuertendo ad Fidem. Erat enim in sectis *Iaponicis* apprimè versatus. Pluribus annis propter suam virtutem, & alia decora *Prouincialium socius* fuit. In persecutione *Daifu* deportatus *Macaum*, rediјt in *Iaponiam* cum *P. Paceco*, simúlque

captus

captus & combuſtus eſt, magnâ conſtantiâ, & animi gaudio.

XLV. *VINCENTIVS CAVN*, *Coreanus* natione, ſanguine illuſtri, *13. annis* in *Iaponia* fuit, ibíque baptizatus & aſſumptus in Seminarium, ſingularia ſemper ſpecimina dedit virtutis. Erat valde gnarus *Iaponicarum* & *Sinenſium* literarum, & *catecheſin* tradebat in tribus linguis, *Iaponica*, *Sinica*, *Coreana*, omnes iſtas nationes *30. annis* obeundo, plurimo labore fructúque; Nam Concionator fuit perexcellens. Miſſus in Regiam *Pequinenſem* in *China*, vt indè tranſitum ſibi ad patriam ſuam *Coream* conuertendam pararet, *ſeptem* ibi *annis* permanſit. Conſpicatus autem res minus procedere, in *Iaponiam* rediit, plurimúmque in ſæuiſſima perſecutione Chriſtianos adiuuit, quoad captus eſt cum *P. Baptiſta Zola*: cùm torqueretur ferreis forcipibus, & crudelem in modum conſtringerentur digiti manuum, nihil ſenſit moleſtiæ. Infuſa deinde magna vi aquæ, ac per violentiam eâdem rurſus expreſsâ cum ſanguine, ſemimortuus iacuit. Multis inſuper verberibus oneratus, *14. diebus* in arctiſſimis vinculis omnino nudus in carcere fortiter frigus horrendũ ſuſtinuit. Totum reliquum tempus, quo poſt iſta tormenta ſuperfuit, ferè orando conſumpſit, aliquam partem tribuens ſcribendæ grandibus literis *Iaponicis* huic ſententiæ: *Laudetur Sanctiſſi-*

ctissimum Sacramentum; vt eam Christianis enixè poscentibus daret. Singulis item noctibus acriter flagellauit seipsum. Crematus denique est viuus cum *P. Paceco*, pari alacritate & constantia.

XLVI. *PETRVS RINXEI*, *Iapon*, ditionis *Arimensis*, à puero educatus in Seminario, in primis humilis, deuotus ac patiens, multis annis Patres iuuit in Cõuersione Gentilium, suis concionibus eorum sectas refutans, in quibus erat probè versatus. Diu *socius P. Paceci*, cum eodem captus, & pro Fide viuens crematus est.

XLVII. *PAVLVS XINSVQVI*, ditionis *Arimensis*, humilis, ac strenuus, vt quo maximè comitatus est multis annis *P. Hieronymum de Angelis* in suis illis magnis peregrinationibus, tum etiam *P. Petrum Paulum*, ac demum *P. Pacecum*, cum quo & comprehensus est, multis verberibus & ærumnis exceptus in carcere, præter voluntarias afflictiones corporis rigida ieiunia, sæuas disciplinas, & prolixam orationem; pari cum eadem alacritate viuus crematus est.

XLVIII. *IOANNES QVISACV*, *Iapon*, *Cochinotcensis*, à puero inseruijt *Patribus*, cum *socius* adesset *Gaspari Sadamazu*, multo cum amore, virtute, ac diligentia, pariter comprehensus est; cúmque essent, qui liberationem eius procurarent, nequaquam consensit, sed

ani-

animosè dixit *Gubernatoribus*, se, qui à puero sit educatus à *Patribus*, eosdémque pro viribus in Gentilium conuersione adiuuerit, spe tam felicis conditionis obtinendæ, quam nunc haberet in manibus, dum pro Christo sit vinctus, ne cogitent se commissurum facinus tam indignum & abiectum, vt à Christo deficiat. Eadémque constanter iterum iterúmque ab eis vocatus cùm repeteret, viuus *Nangasachy* cum *P. Paceco* exustus est.

XLIX. *MICHAEL TOZO*, *Arimensis*, *socius P. Hieronymi de Angelis* in longis ipsius itineribus, tum etiam *P. Sebastiani Chimura*, & *P. Balthasaris de Torres*, multa eis virtute ministrauit. Captus demum, & cum eodem viuus crematus est. *20. Iulij. 1626.*

L. *P. THOMAS TEVII*, *Iapon*, *Omurensis*, Concionator insignis, operam suis dedit magno zelo & exemplo *34. annis*. *Macaum* ablegatus in persecutione *Daifu* clam nouis animis instructus rediit in *Iaponiam*, captúsque *Nangasachy* dum sacrum facit, in carcere *Omurano* multos impetus, & promissiones maximas cognatorum, ad defectionem adhortantium generosè excussit, asserens ignorare illos, quanta bona Deus præparauerit pro sancta Lege sua vitam ponentibus. Reductus tandem *Nangasachium*, iussu *Xoguni*, *6. Septembr. 1627.* cum duobus domesticis suis viuus crematus est, ingenti spiritu de Christi Domini

Lege & Passione concionando, Psalmúmque Omnes Gentes ad laudem Dei excitantem ca-nendo. Vt primùm gloriosum spiritum efflauit, pectore diffracto, flamma rubra, velut ex foco erupit, inspectantibus magna cum admiratione *Lusitanis* & *Iaponibus*.

LI. *MICHAEL XVNVAN*, *Iapon*, sub *Daifu* tyranno clàm in *Iaponia* mansit, multúmque fidelibus profuit. Oppressus tandem grauitate ærumnarum, sub *Xoguno*, morbum & mortem contraxit *Ximono Xequi*, discupiens igne consumi.

LII. *MICHAEL NACAXIMA*, *Iapon*, *Fingensis*, multùm adiuuit *Patres* vltimis *ijs annis* persecutionis. Comprehensus *Nangasachij*, quòd Christianos doceret, *Ximaboram* ductus, ibi octies crassis fustibus atrociter exceptus, & magnam aquæ copiam ingestam ori, per violentiam coactus egerere vnà cum sanguine, demum expositus est soli torrendus. Quo loco singulares à Deo fauores accepit: nam dum cælo ardente funderet preces, nubes intercedens ità soles ab eo defendit, vt custodias tamen vrerent acribus modis, ipséque gelidâ aurâ refrigeraretur. Postea ad *sulphuratas aquas Vgenses* translatum, comite *Iapone* quodam *Ioanne*, vnum stagnorum illorum transire compulerunt. Indéque sublatum in aliud stagnum maius, cum *Ioanne* & *Ioachimo*, haustis indè bullientibus aquis iteratò perfundere;

dêre; rursúmque postridie cum *socijs* ijsdem tamdiu cruciauêre *sulphureis lymphis*, donec animam per incredibiles dolores magnâ constantia toleratos, mirantibus Ethnicis exhalauit *25. Decembr. 1628.* imperante *Xoguno*, Præside *Tacaquenaga Vneme*. Corpus ipsius & sociorum in idem stagnum, in quo vitam pro Fide posuerat, proiectum est.

LIII. *P. ANTONIVS PINTVS Oe-Jinda, Iapon, Arimensis*, Concionator eximius, raræ virtutis, humilitatis charitatis, ac zeli animarum; *43. annis*, quibus in *Societate* vixit, multa millia Gentilium conuertit ac baptizauit: ideóque habitus est ab omnibus, cultúsque pro Viro sancto. Christianis Sacramenta præbuit, lapsos restituit, animauit omnes ad constantiam. Captus *Nangasachij*, post triennij carcerem arctissimum, per triginta tres dies, vnà cum alijs Religiosis, bullientes aquas sulphureas, sustinuit Iudicibus, cùm nulla solicitatione ipsum dimouere possent à Fide; supplicia frustra duplicantibus. *Nangasachium* reductum denuò aggressi, & ab ipso fortissimis argumentis asserta veritate Christiana conuicti, viuum assarunt cum tribus alijs Religiosis. *3. Septembr. 1632.* imperante *Xogun*, Præside *Tacaquenaga Vneme*.

LIV. *P. MATTHÆVS COVROS, Lusitanus*, nobilis *Olyßipponensis*, magnæ virtutis & sanctitatis, insignis patientiæ, & speculum

culum perfectionis totius, *43. annos*, laborauit in *Iaponia*, magno Zelo animarum, & copiosissimo fructu, baptizato magno numero Gentilium. *Macaum* relegatus in persecutione *Daifu*, anno sequente redijt in *Iaponiam*, multùmque laboris exhausit magno bono Christianorum, sacramenta fidelibus, manum lapsis porrigendo, & omnes adhortando ad constantiam. Bis Prouinciæ *Præpositus*, ac nouem annis *Gubernator* Diœceseos fuit, omnes adiutando magno Zelo, prudentiâ & charitate, nihil sibi ipsi parcens, ac sæpenumero animam pro suis ouibus tanquam bonus Pastor exponens. Multùm quæsitus euasit sæpe non sine periculo, Deo ipsum in solatium Ecclesiæ afflictæ tanquam columnam seruante. *Tribus mensibus* primùm. postea *ferè toto anno* intra *duos parietes*, non nisi vnico homine conscio, latuit, vbi non plus habuit lucis, quàm quod candela ad preces persoluendas accensa præbebat: pro cibo fuit modicum panis. Latuit etiam inter vepres septem diebus, inter iniurias temporis vdi ac frigidi, non alia re tectus, quàm storeâ; non alia re famem sedans, quàm oryzæ pauxillo, & farinæ, auenaceæ, quam secum attulerat. Exhaustus demum tantis & tam continuis laboribus, ærumnis, & insectationibus, vt nunquam posset quiescere, decreuerat offerre se iudicibus *Meacensibus*, cùm à leproso quodam exceptus fuit in tugurio suo,

quod

quod ei quouis carcere grauis erat. Ibi consumptus laboribus & curis afflictissimę Ecclesiæ perceptis Sacramentis, cum desiderio rogi sanctè mortuus est in persecutione *Xoguni*, propè ciuitatem *Fuximam. 29. Octobr. 1632.*

LV. *IACOBVS CACVXIMA*, *Iapon Firandensis*, in munere Catechistæ & concionatoris, magno exemplo ac zelo *Patrum* multis annis adiutor, in ista persecutione multos Christianos libris & exhortatione seruauit. *Nangasachij* cum *P. Paulo Zaito* comprehensus, mandato *Xoguni*, magnâ constantiâ pro S. Fide nostra viuus crematus est. *Vltimo Febr. 1633.*

LVI. *IOANNES IAMA*, natus *Tuinocuni* in *Iaponia*, raræ virtutis & sanctitatis, gnarissimus literarum ac disciplinarum patriæ, *47. annis*, quos in Religione consumpsit, functus est officio Cōcionatoris pręstantis, baptizando multa millia popularium, & animando Christianos in persecutionis ærumnis, quoad pro Fide in *Ogu* captus, & *Iendum* perductus, *4. annis* in carcere fuit: demum petens chartam & atramentum elegantissima oratione demonstrauit, *Iaponiam* in tenebris versari, & *Iapones* cæcos esse, qui lucem sacrati Euangelij non agnoscant. Quæ cùm allata essent *Gubernatoribus*, denuo retrusus in carcerem, ibidem concionando multos conuertit ac baptizauit; etiam proceres nonnulli ex aula, qui

ipsum inuiserant, auditâ eius doctrinâ, confessi sunt, in sola lege Christiana obtineri salutem. Suspensus à pedibus, in fouea vitam finiuit, magnâ constantiâ; *vltimo Febr. 1633.* iussu *Xoguni.*

LVII. *THOMAS NOZAN*, *Iapon Amacuzanus*, iuuit *Patres* multis annis Catechismo & concione, magno virtutis exemplo ac zelo, Christianos varijs modis consolando & animando in seruanda Lege ac Fide Diuina. Captus cum *P. Iuliano Nachaura*, & *Nangasachium* ductus, postea *Cocuræ* iussu *Xoguni*, viuus crematus est pro S. Fide nostra, cum *Luisio Cafucu*, & *Dionysio Iamamoto, vltimo Februar. 1633.*

LVIII. *LVISIVS CAFVCV*, *Iapon*, *Arimensis*, educatus in seminario, multis annis *Patrum* adiutor fuit in Catechismo & concione habenda, magno cum exemplo, virtute, ac studio conuersionis suorum. Cum *Patribus Manilam* deportatus In persecutione *Daifu*, redijt cum *P. Benedicto Fernandez*; multa simul perpessus per varia regna discurrit, vt libris pijs & exhortationibus Christianos consolaretur, & confirmaret in tuenda lege Dei ac Fide. Captus denique cum eodem *Patre*, & *Nangasachium* ductus, *Cocuræ* viuus pro Fide combustus est magnâ constantiâ.

LIX. *DIONYSIVS IAMAMOTVS*, *Firoximensis*, *Iapon*, educatus in seminario,

Patres

*Patres* in officio Catechistæ & Concionatoris adiuuit pluribus annis, magno exemplo, sanctitate, & zelo. Ab exilio *Macaënsi* in persecutione *Daifu*, redijt in *Iaponiam*, & Christianis, quà potuit, adhortationibus librísque solatio fuit, cum *P. Ioanne de Acosta* comprehensus, *Nangasachium* venit; inde *Cocuram*, vbi cum supradictis duobus pro Fide viuus combustus est, *vltimo Febr. 1633.*

LX. *NICOLAVS FVCVNANGA XEIAN*, *Omensis*, in Seminario educatus à puero, ob insignem virtutem, humilitatem & charitatem pro homine sancto est habitus. Concionator excellens, *46. annos* Religionis consumpsit magno cum zelo in conuersione suorum, multa millia in diuersis Regnis baptizans. Cum alijs Religiosis *Macaum* relegatus in persecutione *Daifu*, redijt in *Iaponiam*, & Christianos libris exhortationibúsque adiuuit, donec *Figæ* est captus, atque inter primos in *Iaponia* suspensus pedibus, & medio corpore immissus in *fossam* arctam, clausámque duabus tabulis excisis ad captum corporis, omni luce & sustentatione adempta. *Quatriduo* passus hoc tormentum fortissimè, Gentilibus Christum prædicabat, asserens Dominam nostram Virginem *MARIAM* secum in scrobe fuisse, aquámque præbuisse, plurimáque sibi oblectamenta fecisse. Et verò custodes fontem in illa ( alij dicunt, vas aquâ

limpidiſſimâ plenum) inuenêre, manúſque Nicolai ſolutas: noctu quoque aliquoties vidêre ſedentem ſupra tabulas, & operculum caueæ, mirãtibus & perterritis Ethnicis. Cùm autem rogarent, ecquid ſentiret doloris; non aliud aiebat, quàm quòd *Xogunum*, & totam *Iaponiam* non poſſim ad Chriſtum perducere. Multùm ea conſtantia viri terrorem Chriſtianorum, metúmque ſupplicij huius noui leuauit. Quarto demum die extinctus eſt. *31. Iulij 1633.* Gubernatoribus *Nangaſachij Denxiro & Mataſayemone.*

LXI. *P. EMMANVEL BORGES*, *Luſitanus*, ex Archiepiſcopatu *Eborenſi*, ſtrenuus operarius, ſolidæ virtutis, perquàm obediens & amans paupertatis; Laborauit aliquot annis in *Iaponia* cum magno zelo. *Macaum* relegatus in perſecutione *Daifu*, repetijt *Iaponem anno 1621.* ac *duodecim* ſupremos *annos* vitæ magno fructu animarum impendit, fidelibus Sacramenta, lapſis veniam, omnibus animos addendo. Multùm quæſitus vndique, graues ærumnas pertulit, quoad *Bungi* comprehenſus, *Nangaſachij* in ſupplicio *foſſæ* fortiter exhauſto, quarta die eſt mortuus, *16. Auguſti 1633.* imperante *Xogun*, Præſidibus *Denxiro*, & *Mataſayemone.*

LXII. *IOSEPHVS REOMVI*, *Iapon*, *Figenſis*, multis annis *Patres* adiuuit, magno zelo, virtute, & exemplo. Ab exilio *Macaënſi* reuer-

reuerſus in *Iaponem* cum *P. Borges*, & cum eodem captus, paríque ſupplicio occiſus eſt.

XLIII. *IGNATIVS QVIDO, Iapon, Ariyenſis*, filius vnius è *Martyribus anni 1614*. Educatus in Seminario, multis annis *Patres* in Catechiſmo & Concione adiuuerat, magno fructu ac ſtudio ſuos conuertendi ad Fidem. Cum *P. Borges* ab exilio *Macaënſi* reuerſus, omnium laborum, perſecutionum, vinculorum, & ſupplicij ſocius fuit.

LXIV. *P. IACOBVS ANTONIVS GRANONIVS, Italus Bitontinus*, magnæ virtutis & ſanctitatis, multa oratione, mortificatione, humilitate, obedientiâ, & charitate præcellens, *24. annos* continuos maximo fructu impendit *Iaponiæ*, ferè ſemper in ditione *Arimæ*. Plurimùm conquiſitus, ſæpe in *foſſa* delituit, Chriſtianos conſolando & animando ad martyrium. Captus in agro *Arimenſi Nangaſachium* ductus eſt, iterum reductus *Arimam*, cum familiaribus ſuis, & ſocio *Ioanne Guidera*, magna cum ignominia per omnem ditionem illam circumductus, *Ximabaræ* in *fouea* ſuſpenſus è pedibus, *altero* ſupplicij *die* obijt *28. Auguſti 1633.* iuſſu *Xoguni*.

LXV. *IOANNES GVIDERA, Iapon Firandenſis*, à puero educatus in ſeminario, probatæ virtutis, magníque ardoris, in conuerſionem ſuorum; fuit Catechiſta, & Concionator præclarus, Per hos annos perſecutio-

tionis multùm iuuit Christianos exhortatione & lectione spiritualium rerum, donec cum *P. Iacobo Antonio*, cuius *socius* erat, captus est, & eisdem vinculis, probris, suppliciòque simul affectus.

LXVI. *P. MICHAEL PINEDA*, *Iapon*, *Amacusanus*, perquàm humilis & obediens, magnæ charitatis ac zeli, multos annos Gentilium conuersioni impendit, ac baptizauit multa millia. In persecutione *Daifu Manilam* relegatus, magnâ industriâ in *Iaponiam* rediјt, vbi plurimum in flagrantissima persecutione laborauit. Qui cùm passim inuestigaretur, metuens paterfamilias, ne domi suæ deprehenderetur, nocte quadam tempestousa eum exclusit: is, quia non erat, vbi se tegeret, & nusquam admittebatur, quòd *sacerdos* esset, morbo graui correptus, *Nangasachij* tertio die defunctus est, magno cum desiderio, vt in manibus carnificum posset, *mense Septembri 1633.*

XLVII. *P. BENEDICTVS FERNANDEZ*, *Borbanus*, ex Archiepiscopatu *Eborensi*, magni spiritûs & feruoris, insignis operarius in vinea Domini fuit; operam conuersioni *Iaponum* dedit in Regnis diuersis, magnum eorum numerum vnda cælesti lauando. Multùm in persecutione quæsitus à Gubernatoribus *Nangasachij* fuit; quia Concionator eximius erat, multáque heroica facinora in tempori-

bus

bus istius Christianitatis edebat, vbique succurrens, incredibili ardore, ac prudentia, in fame, frigore, siti, insultibus, & inuestigationibus terrâ maríque; ex quibus mirificè nonnunquam euasit, cùm occursantes hostes eum alloquerentur, neque tamen agnoscerent: delituit nonnunquam in *fossis* & *vepribus*. Venerationi fuit non *Christianis* tantùm, quos confirmabat & erigebat à lapsu; ac *Lusitanis*, qui sui apud eum animi causas agebant; sed etiam *Ethnicis*, vt quidam è Gubernatoribus valde optarent eum videre & nôsse, de quo tam multa dicendo cognouerant. Comprehensus *Naugati* & *Nangasachium* ductus, ciuitatem illam quasi ouans intrauit; paríque hilaritate, neque minore vrbanitate cum Gubernatoribus egit, vt existimarent, eum sine dubio natum esse loco illustri. Pollicentibus ab Imperatore omnia, si Legem Christianam desereret, respondit, secum de hac re agendum non esse; & in eius confirmationē obtulit eis codicillum elegantissimè scriptum, simúlq; vitam & corpus in quæuis tormenta. Quâ constantiâ conspectâ suspenderunt eum pedibus in *foueā* cum *P. Paulo Saito*: quod cùm pertulisset *26. horis*, semiuiuum retulerunt in carcerem, postea denuo admouendum supplicio. Sed is octauo die cùm audiuisset, iam animam exhalasse *socium* suum *P. Paulum* in *fouea*, sublatis manibus in cælum dixit, id vnum se expectas-

 se,

ſe, priuſquam Deo redderet ſpiritum. Quod & continuò fecit magna cum alacritate *2. Octobr. 1633.* imperante *Xogun*, Præſidibus *Denxiro* & *Mataſayemone*. Sacrum corpus eius crematum eſt cum corpore *P. Pauli*, vbi illud mirabiliter euênit, vt corpora, cùm eſſent coniuncta, colloquerentur, gratularentúrque ſibi, quaſi etiamnum ſpirarent, attonitis admiratione militibus & Gentilibus, qui erant præſentes.

LXVIII. *P. PAVLVS SAITVS, Iapon, Tambæ Can Tarbæ* natus, eximius Concionator & Operarius, per diuerſa regna conuertit ac baptizauit multa *Iaponum* millia. Amabatur ab omnibus propter magnam virtutem: humilitate, obedientiâ, charitate, ac zelo animarum fuit præcellens. Relegatus *Macaum* in perſecutione *Daifu*, abijt in regna *Cochinchinæ* & *Tanquini*, vbi magno cum fructu poſuit operam. Diſſimulata poſtea veſte reuerſus in *Iaponiam*, vltimis annis perſecutionis plurimùm allaborauit ſaluti ſuorum, donec *Xigui* captus *Nangaſachium* venit, & *P. Benedicto Fernandez* in ſupplicio ſociatus eſt, *octóque diebus* illud ſine omni potu & cibo ſuſtinuit; multis interea modis lentatus, vt à Lege, quam prædicabat, recederet: tam diuturna tormenta æquè ac blanditias ridebat, mirantibus omnibus carnificibus & miniſtris, quos iubebat faceſſere, negans moriturum ſe, donec

nec moreretur *P. Benedictus Fernandez.* Atq; ita simul defuncti & cremati sunt, quemadmodum suprà dictum est.

LXIX. *P. IOANNES DE ACOSTA, Lusitanus, Auistensis,* magnæ virtutis ac spiritûs, multæ orationis & mortificationis; humilitate, obedientiâ, charitate præstans, *10. annos* impendit *Iaponiæ*, studio fructúque copioso, multos Gentilium conuertendo, donec ablegatus est *Macaum.* Sed durante eadem persecutione *Daifu,* in habitu & nomine nauclen ri reuersus in *Iaponem*, alijs *vndecim annis* ibi strenuè laborauit in conuersione Gentilium, reductione lapsorum, & confirmatione fidelium, varia Regna percurrens. Multùm quæsitus, multis mensibus latuit in montibus & speluncis, aquam & oryzam subministrante pio quopiam Christiano. Nouem diebus absconditus fuit in puteo tam alto, vt fune se sustentaret; in alio multis diebus mansit, vnde etiam extractus est pro mortuo. Comprehensus tandem & *Nangasachium* ductus, suspensus in *scrobem* cum *P. Sixto, & Fratre Damiano, quarto die* extinctus est, *8. Octobr. 1633.* Cùm duceretur ad supplicium, petiuit *Iaponius* quidam aliquid ab eo sibi donari: neganti se habere iam quidquam, ille *Patri* secuit auriculam, ac sanguinem profluentem detulit ad *Lusitanum*, peramantem illius.

LXX. *P. SIXTVS TOCVCEN, Iapon, Ie-*

*zanus*, humilitate, obedientiâ, charitate, & sanctæ paupertatis amore præclarus, fuit excellens operarius & concionator; *49. annos*, quibus in Religione vixit, plurimum pro conuersione suorum exhausit laboris, magnúmque eorum numerum initiauit baptismo. Ab exilio *Macaënsi* in persecutione *Daifu*, redijt in *Iaponiam*, & *annos 18.* ingenti studio & charitate, plurimóque fructu varias Regiones percurrit. Post multam persecutionem captus *Iezi*, *Nangasachium* ducitur, ibíque pedibus suspensus in *caueam* cum socijs duobus ad extremum vsque spiritum Christum prædicando fortiter obijt *9. Octobr. 1633.* imperante *Xogun*, Præsidibus *Denxiro*, & *Matasayemone*.

LXXI. *DAMIANVS FVNCAYE*, *Arimensis*, *Iapon*, *20. annis Patrum Adiutor* in Catechesi & Concionibus fuit, magno exemplo, virtute ac zelo conuersioni suorum allaborans, maximéque in dira persecutione Christianos adhortatione & pijs libellis confirmans, quoad *P. Sixti* in vinculis ac supplicio socius fuit, *quarto* eius tolerati *die*, *9. Octobris* extinctus eadem ex causa.

LXXII. *P. IVLIANVS NACAVRA*, *Omurensis*, *Iapon*, vnus è quatuor Proceribus, qui olim *Romam* ad *Gregorium XIII.* & *Sixtum V.* ab Regibus *Bungi*, *Arimæ*, & *Omuræ*, *Francisco*, *Protasio*, & *Bartholomæo* Legati venerunt. Reuersus in *Iaponiam Societatem* inijt *An: 1591.* factús-

factúsque Sacerdos *42. annis* magno ſtudio in conuerſionem ſuorum per diuerſa Regna incubuit plurima millia Gentilium ad Chriſtum adducens. Magna ſemper exempla virtutis edidit, obſeruantiſſimus Regularum, humilitatis, obedientiæ, charitatis, orationis, & egregij ſpiritûs. In perſecutione *Daifu*, clàm ſubſtitit in *Iaponia*, magno Chriſtianorum ſolatio, quorum causâ plurimum laborauit his annis maximo zelo, donec comprehenſus *Cocura* & *Nangaſachium* ductus, multis modis ad defectionem ſolicitatus eſt, ſed conſtantiſſimè reſtitit ſemper, efficaciter demonſtrando veritatem Legis, quam prædicabat. Pro qua ſuſpenſus pedibus in *caueam*, cum ſocijs *P. Antonio Soſa* & alijs, in *quartum diem* conſtantiâ magnâ pependit. Extinctus *21. Octobr. 1633.* Cùm duceretur, ſingulari lætitia dicebat, ſe eſſe *P. Iulianum*, qui fuerit *Romæ*, omnésque conuocabat ad ſpectandum pro gloria Dei.

LXXIII. *PETRVS, Iapon, Patrum*, tempore perſecutionis, in Catechiſmo & concionando adiutor, ſingularis exempli & zeli, captus demum *Nangaſachij* ſimili ſuſpendio in *quartum diem* tolerato pro S. Fide noſtra glorioſè obijt *21. Octobr. 1633.*

XLLIV. *MATTHÆVS, Iapon*, paris meriti, eadem ex cauſa, eodem ſupplicio ſimul occubuit. *21. Octobr. 1633.*

*P. IO-*

LXXV. *P. IONNES MATTHÆVS*, *Siculus*, *Maceratensis*, magnæ virtutis, spiritûs & charitatis, vltra *10. annos* laborauerat in *Iaponia*, magno zelo & fructu animarum, conuertendo & baptizando multos Gentiles, cùm in persecutione *Daifu Macaum* est ablegatus. Sed reuersus alios *19. annos* impendit varijs regnis, penetrando ad ipsos *Iaponiæ* fines, ac perferendo grauissimos labores, frigora, famem, ac sitim, magno bono Christianorum. Denique conuersis multis millibus Gentilium, captus est, & *Nangasachij* suspensus è pedibus, *P. Sosæ*, & aliorum Religiosorum in *fouea* socius fuit, & *quinto* supplicij *die* extinctus. *22. Octobr. 1633.*

LXXVI. *P. ANTONIVS DE SOSA*, *Lusitanus*, *Cobillanus*, Diœcesis *Guardensis*, nobili sanguine, humilitate, obedientiâ, charitate, ac zelo animarum clarus, *Iaponiam* in persecutione *Daifu* intrauit, cúmque in suspicionem venisset, quòd esset è *Societate*, *Macaum* est ablegatus. At habitu mutato reuersus, *10. annos* persecutionis magno zelo fructúque animarum ibi consumpsit. Magnâ diligentiâ quæsitus, *quinq; annis* vixit in *scapha*, qua ad cõsolandos & animandos Christianos discurrens, incredibiles labores & ærumnas perpessus est, non paucos interim baptizando, lapsósque restituendo. Comprehenso demum propè *Ozacam*, vnà cum *Religioso Dominicano*, quem

quem secum habebat in *scapha*, & manibus pedibúsque ligato magnam copiam aquæ infuderunt, rursúmque per vim expresserunt, vt proderet reliquos *Patres Societatis*, qui essent in *Iaponia*. Sed cùm viderent, se frustra esse, ductum *Nangasachium* vnà cum alijs *Religiosis* suspenderunt in *foueam*: in quo supplicio per *nouem dies* admirabili constantia tolerato, non cessauit concionari, & condolere custodijs, quòd suâ causâ tantùm sustinerent molestiæ, donec *26. Octobris 1633.* vitam sanctè conclusit, imperante *Xogun*, Præsidibus *Denxiro*, & *Matasayemone*.

LXXVII. *P. SEBASTIANVS VIERA, Lusitanus, Castrensis*, magni spiritûs & feruoris, magno studio laborauit in conuersione *Iaponum*, quorum multos conuertit. *Manilam* deportatus in persecutione *Daifu*, cùm rediisset in *Iaponiam*, Christianis in altera persecutionem opem laturus, *Macaum* vocatus est à Superioribus, indéque *Procurator* missus *Romam*, ab *Vrbano VIII. Pontifice Max.* multâ gratiâ ornatus est. Reuersus *Macaum* cum socijs nouis, per *Philippinas* variè permutatâ personâ in *Iaponiam* redijt, maximo vitæ periculo: nam *Romanus* ille (ità vocabant) passim inuestigabatur incredibili diligentia. Comprehensus demum est altero anno, cùm esset *Viceprouinialis Societatis*, & *Gubernaor Episcopatûs Iaponiæ*, in nauigio propè *Ozacam*; & *Nangasa-*

chium


*chium* delatus in carcerem, vbi, vt apparet, ei diuinitus reuelatum est arcessendum ab Imperatore: dixit enim custodijs, postridie *mandato Imperatoris se transferendum in Regiam*, quemadmodum factum est. Eò vt venit, Præfectis ciuitatis Christum prædicauit, demonstrauítque veritatem sanctæ Legis nostræ. Cùm verò *Xogun* misisset, qui dicerent, vt absisteret à Lege, quam prædicaret, respondit; *Sexaginta sex annis percipere se beneficia summa à Deo, à Xoguno verò vincula, famem, & alias multas ærumnas, qui cùm sit homo mortalis, non esse, cur obediat ipsi magis, quàm Creatori*: subijcientibus minas tormentorum, respondit, *quæcunque se accepturum pro Lege, quam prædicaret, eandemque se illos docturum, si velint audire.* Mandârunt eam exhiberi scripto, & rationem simul omnium, quæ prædicaret. Fecit hoc in summa, & intra *14. horas* porrexit Præfectis, vt eam Imperatori offerrent. Quamuis autem luculentè demonstrâsset omnia, quæ petijssent, ostensa simul vanitate *Iaponicarum sectarum*, iusserunt eum pedibus suspendi in *caueam*, vnà cum *Patre* quodam *Franciscano*, & *sex Iaponibus familiaribus Patrum*; *tertio* supplicij *die*, cùm ægrè ferrent, eum non mori, cremarunt pendentem in eodem loco, iussu *Xoguni*, aspiciente tota Aula *Iendi*, *6. Iunij. 1634.* quo gloriosè triumphauit pro Fide.

LXXVIII. *THOMAS NIXIFORI*, *Minen-*

nensis, *Iapon*, à puero educatus in Seminario, inter perpetua argumenta virtutis, *Patres* Catechesi & concione adiuuit multis annis, magno fructu, zelo, & exemplo. Ab exilio *Macaënsi*, in quod eiectus cum illis fuerat in persecutione *Daifu*, repetitâ *Iaponiâ Patrum socius* fuit, in peragrandis varijs Regnis, libris & exhortationibus Christianos iuuando, donec *Ximonixeque* comprehensus pro Fide, *Nangasachij* pro eadem, cùm alijs Christianis, magnâ constantiâ viuus crematus est, imperio *Xoguni*, Præsidibus *Denxiro*, & *Matasayemone*. 22. *Iulij*. 1636.

LXXIX. *P. DIDACVS YVQVI*, *Iapon*, propter Christi præconium captus *Ozacæ*, cùm interrogaretur, quibuscum egisset, & à quibus alimenta sumpsisset, asseuerauit, *se totis annis 20. solùm herbis, & pomis agrestibus vitam tractasse sub dio, errantem per agros & inuia, ne cui damnum afferret*. Suspensus pedibus in *foueam*, fortiter in Christi confessione mortuus est senecta ætate, anno salutis. *1636*.

Hæc est fortissima *cohors militum Christi*, quorum *gloriosis exemplis* inflãmatus *P. MARCELLVS*, insecùtus *vestigia*, assecutus *certamina*, consecutus est *lauream*. Admirandus Deus in *SANCTIS*, maximum & sanctissimũ *NOMEN* eius in omnibus.



# DE PRINCIPIO PERSECVTIONIS IAPONICÆ, ET VITA BB. MARTYRVM PAVLI, IOANNIS, ET IACOBI, è Societate IESV, qui cum 23. alijs Martyribus, quorum sex è Religione S. FRANCISCI, passi sunt in Iaponia 5. Februarij Anno 1597. eodem autore, alio interprete.



Magnitudo rerum, quas *S. FRANCISCVS XAVERIVS, Societatis IESV sacerdos* olim in *Indijs* gessit, inuidendum ei *Apostoli* nomen conciliauit, summis etiam Pontificibus tam eximiam nuncupationem probantibus. Inter omnia insigniter confecta haud paulò eminuit, sacrosanctum *Crucis* trophæum Regnis *Iaponiæ* non illatum modo, verùm etiam cum magno Cælitum triumpho erectum: quippe eius auspicijs ingens Diuina gloria incrementum sumpsit, cum maximo innumearum animarum emolumento, quibus parum fuit Orthodoxæ Fidei lumen recepisse, nisi eandem egregia vitæ sanctimonia pertinaci in diuinæ legis obseruatione constantia, liberali demum vitæ & sanguinis profusione consignarent.

Est

Eſt *Iaponum* gens animi generoſi, & perſpicacis; neſcio num alia magis ad arcana fidei noſtræ capienda, & magnarum virtutum opera exercenda ſit apta. Ea res *Patribus Societatis* inſigni adiumento fuit, vt iam in illis regnis ſupra trecenta hominum millia ad Chriſtiana ſacra traduxerint, multa templa domóſque condiderint, nec paucos *Iaponum* in ſuam *Societatem* ſuſceperint, eorum operâ in tam locuplete & copioſa vinea vſuri.

Hos inter erat *B. Paulus Micchi.* Natus is fuit *Tennocuni*, locus eſt in Regno *Aua*, tertiâ *Iaponiæ* Inſula, quam incolæ *Xicozu* indigetant, parentibus falſorum Deorum Cultoribus, quam tamen impiam pietatem, ne beatam animam contaminaret, *quinto* ætatis ſuæ *anno* ſacro fonte diluit. A quo deinceps tempore ita ſe geſſit, vt maiorem pro ætate pietatis amorem oſtenderet; faciléque conijceres, eum quantum à leuitate, vulgari alioquin primæ ætatis vitio, abhorreret tantum virtutibus imminere, quarum conſtanti ſtudio eam animi induit modeſtiam, manſuetudinem, ac demiſſionem, vt omnes mira erga eum charitate flagrarent, certo ſanctitatis ſtipendio. Adlectus in *Societatem*, in qua *vndecim annis* vixit, in id maximè incubuit, vt & doctrinam Chriſtianam; & *Iaponum* ſectas in varios errores diſtinctas accuratè perdiſceret; illam hominum mentibus inſiturus, has ſtirpitus euulſu-

rus. Ita dein temporis progreſſu, & indefeſsâ induſtria ſe excoluit, vt inter maioris nominis *Concionatores* numeraretur. Nunquam pro concione dicebat, quin magnus vndique affluxus fieret ex diuerſo hominum ſtatu, quippe non populo magis, quàm ſummis Proceribus gratus fuit, raro plerumque exemplo. Nec fructus auditorem fefellit, multi enim eiuratis Idolis Chriſto, *Pauli* ardore id luminis accendente, ſe adiunxerunt.

Neq; continuit ſe amplum & totius mundi capax pectus inter vnius Oppidi anguſtias, in diuerſis namque locis, *Arimæ, Omuræ*, aliíſque Regno *Ximo* ſubiectis aliquot annos ad populum, ob piam perorantis facundiam ſemper frequentem, verba fecit, hinc multorum ad Chriſtum conuerſione operę pretium reddente; inde *Arimondono* & *Omurandono* applaudentibus. Sed vt *P. Organtinus* per *Meacenſium* fines noſtris prępoſitus eum in partem laboris expetijt, aſſentiente *R. P. Prouinciali* *Paulus* in illam Regionem profectus conſuetum ſibi munus *Ozacæ*, & in vicinis locis obijt ſolitóſquę fructus retulit, quà nobilibus quà plebeis Chriſto adſcriptis. Cùm quiſpiam eo loco morte plectendus ad vltimum ſuppliciũ abſtraheretur, multo cuſtode ſeptus, qui id maximè cauebat, ne cuiquam ad reum aditus pateret, palis etiam vndique in ſepimenti modum fixis, *Paulus* in confertiſſimos ſatellites

se strenuè immisit, tantâque vi, tantóque ardore de Christo, & vera eius religione disseruit, vt iam iam moriturus à patria superstitione sanctissimè defecerit, sacróque fonte lustratus inter saluberrima *IESV* & *MARIÆ* nomina non tam mortuus, quàm Cælo natus fuerit.

In disputando cum *Bonzijs* acer erat, vt non facile esset quem cum eo congressum esse, non pœniteret; ita turpiter confusi ab eo recedebant.

Neque contentus ijs, quæ ipse faciebat, alijs insuper arma & modos suggerebat, quibus cum Idololatris disputare *Iaponicas* sectas refellere, viámque salutis edocere possent, ratus non satis esse, si ipse tantum, & non alij etiam in animarum fœnora incumberent. Vt demum nosses eum Christi militem ore manúque promptum esse, quíque omni modo inanium Deorum cultum persequeretur, libros haud paucos eximiæ eruditionis composuit turpes infidelium errores obtriturus, & Neophytorum bono vel è tumulo consulturus.

Excolebat eadem tempestate *Iaponicam* vineam *R. P. F. Marcellus de Ribadeneira* è *sacra D. Francisci familia* qui Fratrem *Paulum* non perfunctoriè nouerat; Is hæc de illo scripta reliquit: *haud ægrè,* inquit; *bis térue animaduerti, cum Monasterium nostrum accessisset, ingenio eum esse taciturno , & perquàm modesto,*

*eúmque qui vndecim annis in Societate transactis plurimum in virtutum disciplinis promouerit institutionem tantæ magistræ, industriâ discipuli æquante. Et. Multi eo tempore, quo ego in* Iaponia *commoror, in promulganda Christi fide fuere memorabiles, à nullo tamen* Paulo Micchi *palma erepta est: vndiq; scilicet apud Christianos præ cæteris religiosius Concionator audijt, quod cùm maiorem in verbis, mentísque sensu, ardorem præ se ferret, tum luculentiùs concionis animos impelleret, vt vel à* PP. Societatis *hoc laudis fuerit promeritus illum animi demissione, & concionandi facultate eum esse, qui munere eo fungeretur cum maximo propriæ & alienæ virtutis augmento.* Et alibi. *Etsi* Societas IESV *ob alios eximios, quibus excellit,* Martyres *gloriari possit, inter insigniores tamen referendus est* S. Paulus Micchi, Societati *enim &* Iaponum *genti ingens decus addidit, cum easdem sanguine suo perfudit.* hæc ille.

Is fuit in hoc Dei seruo virtutum apparatus, fideíque feruor, qui Martyrio adeò eminenti bono tum maximè dignus haberetur, cum Ecclesiæ ager sanguine rigandus erat, quo nascentis olim, & ab Apostolorum, post laboriosam institutionem, cruore nobilitatæ, in se faciem penitus exprimeret.

Solemne Deus habet, magnos casus magnis prodigiis portendere; nec hîc defuêre: certo argumento, inter quos Diuina Sapientia

*Pau-*

*Paulum Micchi*, alios duos *è Societate*, ſex *Ordinis S. Franciſci*, & ſeptendecim *Iapones*, omnes inclytos *Martyres*, cenſeret. *Arimæ* Domino, quem *Arimondonum* appellant, imminentis rei portentum per ſomnum eſt oblatum, cum indicio non dubio, quidpiam miraculi inſtar in eius ditione euenturum. Conſuluit hoc ſuper ſomnio *Patrem Societatis*; hic ſuaſit, vt ſacra ephomologeſi, ſacráque Synaxi tanto Dei fauori recipiendo ſe compararet, quod conſilium *Arimondonus* impigrè eſt executus. Aliquantò pòſt operarius eius, dum ligna cædit, intérque cætera arborem findit, in eius meditullio *Crucem* faberrimè factam, vtique à Cæleſti quodam Mentore, deprehendit. horrere primùm homo, varia ſecum agitare, recepto demum conſilio domum accurrere, quæ vidiſſet nunciaturus. *Arimondonus* re intellectâ nihil cunctatus mox prodigioſam ad ſe *Crucem* afferri iuſſit, ratus, hanc vtíque gratiam eſſe in ſomnis ſibi promiſſam. In alio inſuper Caſtello, aliáque arbore, alia huic priori gemella reperta eſt, fortaſſe vt vacillantem fidem firmaret. Quin, quod haud paulo magis obſtupeſcas, in multorum *Iaponum* veſtimentis *cruces* arcano penicillo depictæ conſpectæ ſunt.

Etiam Cælum loqui cœpit, vt vel nouos ſibi ciues gratularetur, vel infidelium ſæuitiam deteſtaretur; videndam ſcilicet *Crucem*

exhibuit, formam earum, quibus dein Sancti *Martyres* affixi pependerunt, felicissimè æmulantem; sola colorum varietas discrimen inferebat: per quartam enim horæ partem candida, decoréque fulgida, tum æquali temporis spatio candore in rubrum verso purpurea, nigrâ demum nube obductâ conspiciebatur. Ex his aptissimè tot *SS. Martyrum* mors conijci potuit, quam confirmandæ Fidei Orthodoxæ, tot annis iam in *Iapone* florentis, in *Cruce* erant oppetituri.

Sex mensibus ante ipsa Elementa suum tam iniquæ carnificinæ horrorem tremendis argumentis prodiderunt. *Meaci* terrâ cinerē referente: *Ozacæ* colore sanguinem imitante; alibi vermibus pluisse attonitis stupore animis visum est. Mare ingenti vi perruptis ripis leucam vnam cum dimidiâ fines suos excessit, eiectóque fluctu aliquot Castella in profundum abripuit, nunquam deinceps emersura.

Lugubris per aëra clamor audiebatur monenti similis, vt qui in domibus delitescerent in compita progrederentur, fatali alioquin malo inuoluendi. Mox terra, tanquam filiorum suorum crudelitatem indignata, matrem exuit, & pro sæuissima se nouerca gessit. Nam *Meaci, Fugimini, Ozacæ, Zacai* multâ & insolita sui concussione non hominibus solùm, sed & lapidibus vastæ magnitudinis tremorem

incuss

incuſſit : ædificia firmitatis ante hac laude memorabilia arundinum modo, cum vehementium furore ventorum corripiuntur non tam nutabant, quàm in momenta caſum minabantur; Nemo mortalium, quantouis corporis robore polleret, pedibus conſiſtebat; ea erat mali vis, vt paſſim in domibus velut in nauigijs incolæ agitarentur. Nec, qui vocis auditæ hortatu domibus exceſſerant ſecuri erant, cum tanto terra dehiſcens motu omnia ita præruperit, vt proceſſuris noui calles quærendi fuerint.

Tempeſtas hæc non intra tremores ſtetit, ingentes paſſim ſtrages edidit: *Fugimini* Regiæ Principésque domus, alijs in ciuitatibus integræ ex ordine plateæ miſerabiliter collapſæ, ſolóque æquatæ ſunt, non ſine multorum ruinâ oppreſſorum flebili vlutatu & interitu. Nō ſuffecerat calamitati huic in plebeios tantum deſæuijſſe. Palatium Regis eodem caſu correptum centum regias mulieres ſepeliuit, Rege & filio vix periculo ereptis.

Mons alicubi tam turbido impetu motus locum vicinum, in quem incubuit, totum cum vniuerſorum incolarum ſtrage obruit. Rupes alia prægrandis ità fiſſa eſt media, vt in hiatum inuſitatæ magnitudinis diſceſſerit, ab immenſitate abyſſi nil abhorrentem. Eo deuentum eſt, (vt paucis complectar omnia) vt in tot tantisque terroribus, quorum alij alijs gra-

uiores iuxta ac diuturniores fuêre, inter summa beneficia posuerint, saltem aliquas domos mansisse, & pericula latissimè sparsa non omnia obtriuisse. Ex omni hac clementorum intemperie persecutionis Iaponicæ Ecclesiæ omen capi potuit.

Cùm satis ita prælusum esset, ad arma tandem decretoria deuentum est, quæ *B. Paulum* & socios eius sustulerunt. Rerum eo tempore *Cabacundonus* in sexaginta sex regnis *Iaponicarum* Insularum potiebatur. Is in id fastigium à Deo elatus, cum gratiam referre debuisset, beneficium pessimo maleficio rependit; non contentus terram immani vexâsse tyrannide, nisi & nouus Gigas temerario ausu Cælum inuolaret: Legem ergo sanxit, ne quisquam eius Regionibus Christi fidem inferret, vel illatam latiùs diffunderet. Cæterùm sub idem tempus quidam è *S. Francisci familia* in ea loca cum Legato quopiam penetrauerant; hi nihil adeò iniquâ lege absterriti potiorem Dei voluntatem habuerunt, & Christianam sementem in spinosum illud solum fecêre, breui rosas, sed suo sanguine tinctas relaturi. Rex ergo tanquam lege suâ superbè contempta vehementer offensus, quosuis in omni *Iaponia* Religiosos cum eorum familiaribus in vincula conijci iussit. *Meaci* mox *quinq;* è *S. Francisci ordine*, discalceatos vocant, cum duodecim domesticis comprehenduntur; alij *quinq;*

*Ozaca*, quorum duo ex eâdem *S. Francisci disciplina*, duo eorum familiares, vltimus in tertio Ordine Ecclesiastes erat.

Inuidisset domus *Societatis Iesu* alijs tam eximiam felicitatem, si in nullam eius partem venisset; sed ex eadem *B. Paulus Micchi* abreptus est, cum in fide vel inserenda, vel firmanda pro Christo strenuè laboraret. Famulabatur ibidem *Ioannes de Goto*, Christianis natus parentibus in Insula *Goto*, multæ virtutis Iuuenis, in quo ætatem *nouemdecim annorum* animi maturitas multum superaret. A puero in Christiana doctrina à *PP. Societatis* educatus è domicilio eiusdem *Xiquiensi Ozacam* missus fuerat, vt fidei nostræ rudimenta imperitis traderet, & *P. Petri Moreioni* labores subleuaret: qua in Prouincia ad admirationem vsque satisfecit, vitæ candore, puritate, virtutéque vndique insignis.

Huius specimen non aliud maius præbuit, quàm cum pro Christo miseram vinculorum necessitatem, gratæ libertatis amœnitati antepofuit. Aderant Iam tyrannidis ministri, ille tamen nec pedem loco mouere sustinuit, donec omnia curæ suæ tradita in sacrarium disposuerit, amarum diligentiæ præmium catenas exspectans, quibus mox vinctus *Nangasachium* non sine contumelijs abductus est. Eo in itinere insolitam animi lætitiam præ se tulit, non patriæ videndæ, vt reliqua iuuentus

ſolet, ſed vltima pro Chriſto patiendi auidus.

Eandem cum illo & *B. Paulo* fortunam ſubijt *Iacobus Quiſay*, natione *Iapon*, Religione Chriſtianus, in eâque vetus miles & præſtanti in Deum pietate, quam vbi per totius vitæ decurſum, quæ ad *annos 64.* ſe extenderat, inſigniter probaſſet, in domum *Societatis* ſe contulit, diuino ſe totum obſequio impenſurus. Ibi magna qua in Deum, qua in homines Charitate excipiendis hoſpitibus inſeruit, quibus multum diuinis ſuper rebus colloquijs prodeſſe ſolebat, ianitoris interim officio non ſegniter functus. Singulari amore ferebatur in ſacratiſſimos Seruatoris noſtri cruciatus. Hoc in eos ſtudium ipſi fuit peculiare, vt quotidie eoſdem accurata mentis attentione perlegeret, cui rei ipſemet illos vernacula lingua, *Iaponicisque* litteris, quas præ alijs eleganter formabat, deſcripſerat, ſecúmque ſemper circumferebat, identidem ſibi memoriam immenſi amoris, quo Chriſtus Dominus in nos flagrâret renouaturus. Minimè dubium eſt, quin grande operæ pretium fecerit, quippè & ſequiores appetitiones in poteſtate habuit, & virtutibus multum auctus contra Dæmonis inſultus mirè valuit. Diu vterque *Iacobus* & *Ioannes* in ſociorum numerum adſcribi petiêrunt; ſed dilatum vſque in vincula deſiderium eſt, vbi voti compotes haud multô. Poſt egre-

gia

gia morte defuncturi in numerum *Beatorum* transferrentur.

Alius è *Societate* comprehensus est nemo, quod *Cabacundonus* furorem moderatus placere sibi ostenderet, si cæteri relinquerentur. Cum ijs tamen, qui capti erant cæptum persequi iussit. In *Societatem* sortis venêre alij *quinq; S. Francisci ordinem* professi cum familiaribus suis; libuit nomina attexere. Dux omnium erat *F. Petrus Baptista* pro Commissario *PP. discalceatorum* (liceat humilia nomina non erubescere) in *Iaponiam* destinatus; vir excellentis sanctimoniæ, de cuius & aliorum arduarum virtutum decoribus dicere, prudenter omittimus, maiora rati, quàm vt nostris verbis dignè explicare possimus; *F. Martinus de Ascensione, F. Franciscus Blaneus, F. Philippus de Iesu, F. Franciscus de Parilla, F. Gonsaluus Garcia.* Familiares erant Insignis Dei seruus *Leo Carasuma, Bonauentura, Gabriel Thomas, Antonius*, omnes Dogici, *Paulus Suzuqui, Cosmas Zaquiya, Thomas Danchi, Franciscus Medicus, Ioachimus Sanchier, Paulus Iuarigui, Michaël Cosaqui, Ioannes Quizuniga*, & *Matthias.*

Illuxerat primus anni *1597.* dies, quo *B. Paulus Meacum* obducendus erat, iámque aderant, qui vincula inijcerent, quibus impigrè officium suum facientibus admodum lætus & ad adstantes conuersus, *compleui*, inquit, *annos*

*triginta tres, eam ætatem, qua Deo homini ad subeundam crucem placuit; anniuersaria hac dies Iesu est, in cuius Societatem licet indignus admissus sum; dies hac hebdomadis est quarta, atq; vt audio sextâ vltimo supplicio sumus afficiendi, me in hoc saltem, ah quantillo! quamuis nullo meo merito posse imitari Dominum meum Iesum Christum quantum delector?*

*Meacum* vbi peruenit, audito se capitis ideò damnatum, quod sacra Euangeliorum dogmata illis gentibus explicâsset, studiosiùs multo in eandem rem, donec vita suppeteret incumbere statuit. Igitur omnibus occasionibus imminens ad carceris custodes, aliósque facinorosos, ob scelera sua vinculis constrictos, ita de diuinis rebus agere, Christum ita magnificè deprædicare, æternas sceleratorum pœnas ita exaggerare, vt nonnulli feruore eius accensi Christiana Sacra se suscepturos fuerint polliciti. Inciderat inter hæc mentio de amantissimi Redemptoris nostri extremis doloribus, super quorum mysterijs insigni affectu & eloquentia cum disseruisset, cōmodè ad extollendam *Martyrij* dignitatem declinauit, facundè admodum Dei fauorem commendans, qui ad eam gratiam admissis, exhiberetur. Audijt hæc homo militaris, rei bellicæ egregiè peritus, quem *Ozacæ* cum alijs quinque militibus non gregarijs conuersum sacro fonte lustrarat, tantúmque eloquenti

pieta-

pietate permotus est, vt omni mortis abiecto horrore, præsentissimóque vitæ periculo neglecto se Christianum palam confessus fuerit.

Primâ nocte, quâ in *Meacensi* carcere fuit contra captiuorum morem hilaris, Deo sibíque colloqui auditus est. *Hostiam se Deo fieri anno ætatis trigesimo tertio, quo æterni Patris Filius salutis nostræ lytrum persoluisset; se prima die anni, qua Christus D. N. sanguinem suum fundere cœpisset, Ozaca exijsse; se die Iouis cum eodem Domino suo vinculis alligatum; crastinâ verò publicè per vrbis plateas ducendum, liquidissimè se lætari.* Tum manâtibus vbertim præ gaudio lacrymis multas Deo egit gratias, summum enim beneficium duxerat, quod sibi Christum aliquo saltem modo imitari concessum esset.

Eductus cum reliquis è carcere reuinctis post tergum manibus vtque ad secundum ciuitatis vicum pedibus est ingressus. Ibi omnibus *aures sinistræ* præciduntur; non facilè dixerim cur *dexteris* pepercerint, quia Reas vtrasque amputari iusserat. Inuicti interea Heroës mutua sese adhortatione accendebant; parum doloris, plurimum gaudij perentiscere, qui supplicium id obire cæpissent; periucundum esse, easdem *aures*, per quas Orthodoxa fides in animam transfusa esset, eiusdem testes & præcones habere; nullam tam facundam vocem audiri, quæ Christum pulchrius

de-

deprædicet, quàm ita profluentem ſanguinē.

Omnes eminuêre animo non obſcurè inſinuentes ſe ad maiora pro Deo ſufferenda paratos. Imperterrito vultu alter alterius vulnera intuebatur; quiſque in alio honorem reuerebatur, ad quem Deus tam eximiæ *Martyrij* palmæ deſtinando, quemuis euexerat. Doloris quoque, quem ex vulnere aurium oriri neceſſe erat obliti omnino in Deum transformabantur, qui tum in ſingulis, tum vel maximè imbecillioribus prodigio ſimilia edebat ſpectacula. Iuuenes nimirum maiorem quam capere videbantur pectoris magnitudinē præſetulerunt; ex vno omnes diſce. *Thomas* in primo adoleſcentiæ flore auriculam ſibi amputatam carnifici obiecit, & plus ſi liberet recidere, ſéque Chriſtianorum ſanguine ad ſatietatem ingurgitare iuſſit.

Reſectas *SS. Martyrum* partes Chriſtianus quidam, cui *Victori* nomen magno cum animi ſenſu collegit, & *P. Organtino Societatis* in ijs locis *Præpoſito* attulit, qui ingenti eas veneratione manibus excepit, obortíſque præ lætitia ſimul ac commiſeratione lacrymis ad circumſtantes, *en*, inquit, *Eccleſiæ Iaponicæ primitias, & purpuraſcentes eius flores; en fructum laborum noſtrorum. Maxima qua poſſum animi demiſſione illos Domino N. IESV Chriſto offero*, ſimúlque omnibus videndas exhibuit, nemine non in pium fletum colliqueſcente.

Hac

Hac prîmâ sacrificij huius parte peracta, vetustis carris inijciuntur singulis terni: lugubre agmen *tres è Societate* claudebant. Tum ne ignominiæ quidquã intermitterent, per principes vrbis plateas vehuntur, lictore altâ pertica sublimem tabulam præferente, cuius ex Regis mente hæc erat sentẽtia. *Regem Christianorum legem in Regno doceri vetuisse, Religiosos hos temerariè mandatum infringere ausos fuisse, Iapones verò secus quàm rex imperasset ipsos recepisse, eâ de causâ commune omnes supplicium obituros.* Non sine inuidia felicem adeò sortem reliqui Christiani spectabant, sed quam pia veneratio temperaret.

Non aliud magis mireris, quam Gentiles, hæc alias summi probri loco ducere assuetos, ob exploratam *SS. Martyrum* innocentiam maximi mæroris & miserationis indicia exhibuisse, nec abstinuisse quin inculpatam eorum viuendi rationem palam prædicarent, intérq; mutuas querelas lamentarentur, quod olim *Achaici, de S. Andrea* proclamarant, *sanguinem eorum absque culpa damnatum fuisse.* Mulieres etiam, ad hoc genus noua garrulum genus, non iam fabulationibus indulgebant, sed conceptum misericordiæ sensum atque admirationem tacitæ significabant.

Ante iã fama vulgauerat *SS. Christi athletas* per primas ciuitatis plateas trahendos inde factum, quod fidem pene excedat, quippe in-

genti opere compita aduecto ſabulo, nullo imperante ſtrauerunt more tum ſolum conſueto, cum Rex curru ſublimis triumphantis ritu vrbem ingreditur. Semel aut bis quotannis hæc pompa inſtruitur, nec ſæpius repetitur. Omnes tum ſatrapæ, Regiíque Proceres comparent, ſuperbo apparatu currum ſtipant, vario ſplendidóque cultu fulgent, diuerſis quiſque inſignibus vel nobilitatem, vel dignitatem oſtentantes. In auditum hucuſque in omni *Iaponia* fuit, id honoris cuiquam etiam nobiliſſimo habitum fuiſſe, vt cùm ad ſupplicium duceretur purgatæ plateæ arena inſternerentur. Deus ſcilicet ignaros etiam ad obſequium innocentiæ impulit, demonſtraturus mortem ſeruorum ſuorum triumphum, extremorum perpeſſionem regnum eſſe.

Procedebant ergo *SS. Martyres* iſto habitu, claráque quæ ab adſtantibus exaudiri poſſet voce Nomen *IESV* prædicabant ea oris forma, ex qua admirabilem animi lætitiam inter eas ignominias conijceres, ſanguis etiamnum ab aurium vulneribus defluebat, ſilentióque ad Deum perorabat, *Martyribus* preces iungentibus, vt diuina bonitas Gentilibus veniam, alijs conſtantiam impertiret. Vbi à Concionum contentione remiſſum ad orationes conuerſi, modò illatas Chriſto Domino iniurias memorabant, modò ad maiora ſubeunda prompti, ea mala, quæ tum ſuſtinuêre

fluêre inter beneficia referebant, non dubiâ ſpe, ſe ea porrò Dei gratiâ paſſuros. Cingebant eos multi apparitores, qui populum palis, liberum platearum ſpatium redditurі remouebat, ex more in Regio triumpho, de quo iam meminimus, ſolito.

Probroſa hac deductione finita rurſus in carcerem compinguntur, vbi in laudando Deo aſſidui ad omnem euentum, etiam ad mortem parati exitum opperiebantur. *B. Paulus Micchi* inter primas curas habuit, ijs, qui è *S. Franciſci diſciplina* erant; ingentes gratias referre; quod ſe cum ſocijs in partem tantæ fortunæ admiſiſſent. Cæterùm lætitia eorum maior erat, quam vt eam cuſtodiarum viles animæ caperent. Nox ea pleraq; à *Paulo* ad adſtantes dicendo tranſacta eſt, nihil enim erat, in quo dulcius acquieſceret, quàm in Deo eiúsque beneficijs commendandis. Paucis eò diſputante pietatis lacrymas repreſſêre.

Poſtero die *Ozacam* & *Sacaum* ducti, eodem quo *Meaci* dedecore plateas equis, pro more earum vrbium, obire coacti ſunt; ea omnium commiſeratione, vt vel Gentiles tam miſerabilem intuiti faciem profusè flerent, gnari eos horum nihil meritos, ſed alio triumpho dignos. Inde *Nangaſachium*, vt ibi denſiore incolarum & accolarum affluxu, maiore cum ignominia *crucibus* affigerentur, abire

X iuſſi

iussi sunt, eo in itinere *duobus* tantæ gloriæ *socijs* aucti. Vni *Petro Suquexiro* nomen, hunc *P. Organtinus*, certus *SS. Martyres* omni ope, corporúmque commodo destitutos, prolixâ planè via miserat quibusdam, quæ secum ferebat, non *Societatis* modò hominibus, sed reliquis etiam subuenturum. Eluxit in eo non eximia solùm *charitas*, verùm etiam insigne *pectoris robur*, quo fidem Christi complexus erat, cum prouinciam hanc non absque manifesto vitæ periculo adeundam impigrè suscepit, quod & *SS. Martyres* inter maxima beneficia numerantes gratos admodum se ei exhibuêre. Parum tamen inde commodi receperunt. Quippe Ethnici, pro ea, quâ stimulabantur auaritia, *Petrum* comprehendunt, omníque, quam attulerat pecuniâ spoliant, ad vltimum in vincula conijciunt, sceleri suo obsequij in Regem specie prætentâ; non modo Christianum eum esse, sed etiam contra ac Rex vellet, extremo ob Christi fidem supplicio addictis ministrum venisse.

Alter fuit *Franciscus Carpinterus* octo mensibus ante sacro fonte tinctus *Cay* nomen acceperat, ídque Episcopali deinde vnctione confirmatus nomine *Francisci* cõmutauerat. Quid animi hoc è Sacramento ipsi accesserit, eluxit ex eo, quod cùm pia *Martyrum* turba caperetur palam se Christianum professus sit; in carcerem deductos interritus inuiserit, in

in carros illorum probro destinatos, lictoribus etiam multo palorum ictu repellentibus, conscenderit, nec destiterit incredibili constantia Dei T.O.M. laudes, quà verbis, quà factis diffundere. Identidem interea cælum vires suffecit, ne salubre adeò consilium licet pessimè à lictoribus habitus laxaret Ita *Ozacæ*, ità *Sacai* cum damnatis moratus est, & nullibi se Christianum esse non illustria præbuit indicia, cùm impigrè seruiendo, tum piè animando.

Hinc *Nangasachium* cum illis perrexit, atq; à Satellitibus non iam amplius ire prohibentibus, in vincula, quod Christianum se dìceret, compactus, reliquisque adiunctus est, nouum sibi augmentum, ipsi verò felicem sortem gratulantibus. Non deerat, qui illum vitæ periculo eximere laboraret, quod inter *viginti quatuor* à Rege designatos nominatus nõ esset. Sed cassus conatus fuit, Diuina scilicet bonitas illi *Martyrij* triumphum decreuerat.

Hæc inter fama, vt solet, volat, vltro citróque discurritur, ad Regem etiam, quæ duobus his contigissent perferuntur; ad quæ attonitus, *profectò*, inquit, *admirandâ sunt Christiani animi magnitudine, atq; inter se voluntatum consensione.* Aliorum sensus erat, eos vti crucifixum Deum adorarent, ita in cruce ob eius gratiam extendi magnificentissimum ducere. Quæ Barbarorum arbitria nõ parum ad Chri-

ſtianorum gloriam faciunt; nam & ſine adulationis ſuſpicione aſſerunt arduum decus eſſe, Deo æmulum in cruce mortem oppetere, & noſtræ fidei legem extollunt, vt quæ in hominum pectoribus magnanimitatem in voluntatibus vero conſpirationem progignat, bona vel à prudenti natura approbanda.

*B. Paulus Micchi* quacunq; incederet tam ad ſocios, quàm ad locorum eorum incolas errorum adhuc tenebris inuolutos verba de diuinis faciebat, ſolitæ charitatis incendio inflammatus. *Nangoiam,* prope *Nangaſachio* abeſt, vt peruentum eſt Gubernatori ſiſtuntur. Is animi hilaritatem, quàm ex vultûs ſereno coniecerat, inprimis admiratus, ex *F.Petro,* quem *Franciſcanorum commiſſarium* eſſe diximus, ſcitatus eſt, & cur ipſi adeò læti ad mortem, à qua cæteri mortalium omnes tantum abhorrerent, progrederentur. Subiuit Sanctus, *ſuſceptam pro Chriſto mortem æternæ in cælis vitæ ſe pignus credere, ibi immenſas gloriæ diuitias aduentui ſuo præparatas; id eſſe cur tanta cum cupidine extremis omnibus ſe obycerent.* Protulit deinde ea, quæ ad veri Dei ſanctæque eius Legis notitiam fore arbitrabatur, inter quæ cum perhonorificam *Martyrÿ* mentionem feciſſet, atque in eius encomijs multus fuiſſet, demum adiecit non alium honorem à Rege ſibi maiorem exhibitum fuiſſe, etiam tum, cum ab eo in Palatio, regio apparatu exceptus,

ceptus, & Regis & Procerum conuiuijs adhibitus fuisset.

Probè omnia Iudex intellexerat, quódque sæpius de ijs audijsset, sacro tingi lauacro iam petiuerat. Verùm Regij fauoris dignitatísque suæ, quàm salutis auidior tam salubriter à sancto Viro dicta neglexit, id solũ affectui, quo in eum singulari ferebatur dedit, vt *duo*, quæ pro suo sociorúmque solatio postulauerat, concederet. *Primum* crucis supplicium in diem Veneris Seruatoris nostri sanguine nobilitatum prorogauit; *dein* locum, vbi è Societate Sacerdos sacris operari, ipsósque epulo diuino reficere posset, promisit. Quâ de re *B. Petrus Rectori Societatis Nangasachium* litteras misit, quibus vt prudenter admodum, sanctéque scriptis omnes ad non vulgarem pietatis sensum commoti sunt, præcipuè maxima animi demissione plerósque afficiebat. Rogabat autem à *Patribus* & *Christianis* vniuersis, omnium offensarum veniam darent. *Patrem*, si fieri possent, mitterent, quo faciente rei diuinæ interessent, panémque vitæ morituri acciperent, nihil præter ea in hoc mundo esse, cuius desiderio tenerentur; hoc impetrato se libenter occubituros.

Incredibili ex eo tempore gaudio *BB. Martyres* complebat spes, quam de audiendo sacro, diuinóque conuiuio conceperant, non dubij plurimùm animi accessurum ad perfe-

rendam pro IESV Christi gloriâ necem. Nec quidquam tantæ spei obstare videbatur, & potestate à Gubernatore factâ, & *duobus Patribus*, qui desiderio *Sanctorum* satisfacerent, *Nangasachio* sine morâ missis. Fuerunt illi *Franciscus Passio*, & *Ioanes Rodriquez*. Hi *Nangoiam* appulsi carcerem adeunt, captiuos reperiunt Salutationis Officium, quod totius *Societatis* loco obibant, persoluunt, mutuóque conspectu alloquióque mirificè recreant.

Verùm cum de faciendo sacro agerent, Iudicem consuluerunt. Is non modò prius concessam *sacra mysteria* obeundi potestatem negat, sed etiam spem mortis in *diem Veneris* prorogandæ aufert, ratus apud Regem incommodo sibi fore, si adeò lentum & oscitantem in eius negotio se præberet. Celeritate itaq; qua maxima potuit, *Nangasachium* contendit: *cruces* & necessaria compositurus, *duobus Patribus Nangoiæ* relictis; qui mœrore captiuorum ob præcisam duarum rerum tantùm desideratarum spem conspecto, eos strenuè soleri laborarunt, magna & multa rationum momenta adducentes: beneficium esse quod illi pro infortunio dolerent; neminem ægrè ferre, si videat felicitatem suam accelerari, spem dilatam animos affligere, proparatam verò gemino gaudio perfundere. Alijs quoq; *Iaponibus*, qui se de noxis ad sacrum tribunal reos agere voluerunt, quo expeditiores cælum iam

iam aperiendum ingrederentur, aures præbuêre. Nulli dein ab ijs operæ parsum est, qua duo in viâ comprehensi supplicio eximerentur, quod nec sententia regis damnati, & à voluntate ipsius eos necari alienum esset. At Gubernator, nominatos quidem eos in sententiâ non esse; communi tamen supplicio mactandos respondit, quia satellites dicerent, ad vnum omnes, quos adduxissent, *cruci* suffigendos esse. Ita lictorum malitia æquitati præualuit.

Maiore, quàm omnes, *B. Paulum Micchi* aduentus *Patrum* gaudio deliniuit, qui ex eorum *Societate* plurimum solatij cepit, plurimum reddidit. Non alio fuêre animo *Ioannes* & *Iacobus*, qui vt supra monuimus, cum *Paulo* capti, sed nondum in *Societatem* adoptati erant, licet eius magno desiderio dudum flagrarent, primáque inter vota haberent, in eius vt suauissimæ Matris gremio vitâ defungi. Hic tandem in felicitatis cumulum tam ardentis & desiderij compotes facti sunt ab altero *Patrum*, qui eos potestate à *Prouincialis* vicem obeunte concessâ *sociorum* numero adscripsit. Consueto ergo *Ordinis nostri Sacramento* dicto, ingenti desideriorum æstu, sanguinis sui pro Deo immolandi, ferebantur, insigni ad *Patres* & alios exemplo.

Post hæc varia itineris ratione *Nangoiâ Nangasachium* deducuntur: alij debiliores equo

vecti; alij corbe duobus baiulis ſubeuntibus delati; pauci valentiores pedibus ire coacti ſunt. Diſcrimen hoc prolixitas viæ plerumq; præruptæ & laborioſæ attulerat. Sanè *Religioſi* ex itinere tam difficili pedibus confecto maiorem partem admodum laſſi, debilitati, aut claudi aduenerant. Circumfuderat ſe illis ſclopetis, haſtis, bipennibus armatorum cuneus; turba ferox, quam à Deo & humanitate alieniſſimam eſſe facilè apparebat, cum damnatam innocentiam, magno tamen gaudio ad ſupplicium procedentem barbarè adeò tractaret. Nitebantur hunc ſatellitum furorem ſolari *Luſitani* quidam, qui miſeratione impulſi nonnulla recreando corpori pertinaci beneuolentiâ non obtulerunt, ſed planè obtruſerunt, Iſta illi, magnâ cum gratiarum actione accepta, inter carnifices & lictores diſtribuerunt, arbitrati beneficam hanc eorum crudelitatem, vt quæ cælum apertura eſſet, hoc beneficio ſibi anteuertendam.

Tandem multo cum incommodo *Nangaſachium*, deſtinatúmque ſupplicio locum peruentum eſt. Ibi Iudex omni abiectâ morâ Regis imperata fieri acriter vrget. Magnâ Gentilium copia ad triſte miniſterium excita conuolâret, ea *Sanctos* apprehendit, móxque *crucibus* implicandos pallijs ſpoliat, nullo quidquam repugnante. Ad triumphum ductos crederes, ita vndique diuinæ laudes perſonabant,

omnes

omnes inundati gaudijs se *crucibus* aptari sustinebant, amantissimè eas exosculati. Nemo non fuit, qui non *S. Andream* imitatus velut blandissimum lectulum infamem truncum salutaret, atque extremum vitæ spatium, quod carnificum sæuitia reliquum fecerat, in diuina misericordia exoranda & anima Deo commendanda consumeret.

Singulis sui carnifices attributi erant, quare sine confusione, quæ aliàs multitudini solennis est, modico admodum temporis spatio omnes *crucibus*, suis affixi sunt: ferrei circuli manus, pedes, collúmque complexi stipitibus eos innectebant, spectaculo antehac in *Iaponiâ* nunquam viso.

Iam *cruces* in altum surrigendæ erant, cùm Gubernatorem *Lusitani* adière, petentes, vt *sex Religiosi* medium loci occuparent, ex vtraque parte denæ *Iaponum cruces* figerentur. Vbi quod petebatur haud grauatè concessum est; omnes sub vno veluti oculi ictu eleuantur, altíque pendent. Ingens tum luctus exortus est, omnia planctu lamentísque replebantur: Christiani salutis suæ duces sibi eripi querebantur; alij nil meritos tam crudeli morte multari non taciti dolebant; alij, qui nec conspectum tam miserablis habitus sustinere potuêre, recedebant, & vestium aliquid ab inuictis CHRISTI Athletas relictarum venerabundi colligebant, certi magnum ijs pretium

 inesse.

ineſſe. Magna ſcilicet triſtitiâ, ſed hominum, non Angelorum fuit.

Cùm *cruces* in primo conſpectu eſſent, *B. Paulus* tanquam viſo malorum ſuorum termino alacrior vicinam Chriſtianorum multitudinem intuens, *quod veri*, inquit, *DEI Legem Iaponibus tradiderim, captus & vt videtis, damnatus ſum; fallaciæ pœnam veritas exſoluit, verum perſeuerante, chara pectora, in Religione Chriſti, extra quam pietas perfidia, fides ſuperſtitio eſt, perſeuerate: ſalutem veſtram arbitrariam habetis, illam eripiet inconſtantia, ſola ſeruabit perſeuerantia. Ad me quod attinet, hic dies, contra quàm quiſquam putet, præ Paſchate mihi feſtiuus eſt. O quantam mihi Deus gratiam contulit!* hæc ſæpius repetens progreſſus eſt.

Tam *Iapones*, quàm *Luſitani* certatim affluebant, veſtes ipſius pio oſculo veneraturi, ſed vtrique non ſine reprehenſione ab eo repulſi ſunt, non obſcurè ſignificante, id honoris plus moleſtiæ ſibi, quàm lætitiæ afferre; omnibus tamen ſalubriter conſulebat, quæ *Sancti* eſſent exempli ingerebat, magno animo & feruore vniuerſis ſupremum vale precatus. In *crucem* denique extentus, ſublatúſque vt pro Concionatore captus erat, ita in tam excellenti cathedra ſe conſpicatus, vocem quantum poterat intendit, & *non*, inquit, *peregrinum, ſed natum Iaponem, atq; e Societate IESV fratrem videtis, nihil ſceleris admiſi, ſolum beneficium morte*

*te suo, quod sanâ IESV Christi disciplina mentes popularium meorum imbuerim. Verùm vt supplicio tam illætabili delecter, causa facit, Principem hanc mihi à Deo gratiam reputo. De cætero in quo rerum articulo sim deprehensus cernitis, facilèque ni fallor conijcitis, non eò loco me esse, vt mendacijs vos ludificari mihi allubescat, nemo fallit moriturus. Id assero, nullam ad æternam in Cælis salutem viam esse, quàm ad Christi Leges formatam Religionem, hoc persuasissimum habete.*

Hæc cùm magno Spiritu asseuerantissimè pronuntiâsset ad DEVM Christi Domini exemplo, carnificibus suis propitiandum conuersus, aliquamdiu maximo pietatis ardore preces persecutus est; quas cum peregisset, *Christianis*, inquit, *lex est inimicis omnem offensam remittere, eam vt Sanctam habeam, non Regi solùm, verùm alijs omnibus, qui tam atrocis in me consilij participes fuerunt, ex animi mei sententia ignosco & condono, omnibúsque ciuibus meis amantissimis precor, vt Christiani, id est, æternum beati sint.* Tum vultu ad *socios* vtrinque verso, iam *hos*, iam *illos* ne inexpugnabilem animi constantiam, fixúmque è pectore DEVM dimitterent, hortatus est. Ipse verò adeò inuictus, adeò nihil turbatus pendebat, vt cum *cruci* suæ adstantibus colloquia familiariter misceret, per vnúmque eorũ absentem quemdam valêre iuberet. Fatalem demum ictum suscepturus, ex formâ, quam Christus Domi-

nus

nus inclytam reddidit, Spiritum DEO commendauit, Sanctósque vt subuenirent, & id genus alia precatus est: interea de carnifice pectore transfossus multo effuso sanguine linquentem animam DEO reddidit.

*Ioanni de Goto* inter iuuenes felicissimo, cùm iam à *cruce* suâ proximè abesset, *pater* valedicturus occurrit, quem *Ioannes* modestè monens rogabat; salutem æternam cordi habêret, non aliam rem maioris momenti esse, à curandâ proinde illa nunquam cessaret. Ad quæ *Pater*, memorem, inquit, mones, habebit me res ea semper solicitum: tu verò, fili mi, forti animo sis, vt qui inter primos intellexisti, quanto maius sit pro CHRISTO fortiter mortem oppetere, quàm timidè effugere. De cætero scias, *me matrémque* tuam ad eandem subeundam, si DEO allibuerit, promptiores, quàm lictores ad inferendam futuros. Collaudato *Patris* consilio, *Ioannes* eidem piaculares globulos, quos secum tulerat, porrigit; *Matri* verò lineum amiculum, quo caput velârat, deferendum mittit. Adstabat notus ipsi Christianus, euentum tragœdiæ opperiens: eum rogauit, vt *Meacum* reuersus *Patribus Societatis* salutem suo nomine dicere non grauaretur, ante omnes tamen *P. Petro Moreiono*, cui aliquos annos sociam operam nauâsset; agerétque gratias; eius enim institutione sanctísque consilijs, miserante Deo, eam sibi tam fe-

licem

licem ſortem, quâ frueretur, obtigiſſe. *Crucem* ſibi deſignatam vbi aſpexit, alacritate, ſupra quàm credi poſſit magna, ei ſe alligandum præbuit; ſuffixus iam tantum animum præſetulit, & in adhortandis ad vtrumq; latus *ſocijs* charitatem, vt obſtupeſceret vniuerſi: admonitus à *P. Ioanne Rodriquez*, animo ne caderet, nec ſui oblitus, plus æquo alijs ſe impenderet, ſine curâ eum eſſe iuſſit. Recepto hæc inter in pectus ferro, & dulciſſima inclamans IESV & Mariæ nomina, vitam cũ ſanguine effudit.

Nihil ab horum virtute abluſit *B. Iacobus Quiſay*; is in *ſociorum* numerum admiſſus, multus fuit in gratijs Deo referendis, mirificè celebrans; quod & ab Officio miniſtri in *fratrem* admiſſus, & è *fratris* loco, ad tam excellens *Martyrij* faſtigium euectus eſſet. Conuenerant eum non pauci; qui cùm fortunam eius planè inuidendam ſuſpicerent, maioréque, quàm modeſtiæ *Iacobi* arridêret reuerentia alloquerentur, inſigni ſui deſpicientiâ dixit, *magnis ſe peccatis obnoxium eſſe, reuereri proinde ſe deſineret*. Petijt eorum non nemo, vt linteolum, quod in cingulo geſtabat, ſacri muneris loco ſibi concederet; ad quod poſtulatum perturbatus, nullo modo id futurum reſpondit.

Cæterum adſtantes humilis animi modeſtiam id interpellati, nihil eius voluntatem ſunt morati, & inuito id, quod negârat, abſtulerunt,

ſerunt, egregio ſe pignore potitos rati. Non minus, quam in reliquos, in eum ſæuitum eſt. In *crucem* ergo actus inter pia ad Deum vota, & ſanctiſſimas IESV, & Mariæ voces animum ſanguine ſuo nobiliorem, quàm acceperat, cœlo remiſit.

Omnes, Vt breuibus expediam, eum in altum euecti eſſent, inſignia lætitiæ argumenta, quòd Chriſtianæ fidei cauſa vltima paterentur, ediderunt. Quatuor fuêre carnifices, qui acutis omnes ex ordine lanceis tranſuerberârunt, cui libet duos infligentes ictus, ferro per pectus tranſeunte, & ſupremis humeris emicante. Durante carnificina effulſit *duorum Patrum Societatis Franciſci Paſſionis*, & *Ioannis Rodriquet* ingens charitas, qui nunc ad hos, nunc ad illos aduolantes pro Viribus omnes animabant. Non ſine rara animorum affectione ſpectata fuit morientium fiducia: Quippe ſinguli Vitam ſuam Deo deuouebant, atque velut ſibi plauderent, ſonora voce alij pſalmum, *Laudate Dominum omnes gentes*, decantabant; alij verbis Chriſti animam Deo tradebant, alij fidem ſuam *Apoſtolorum Symbolo* profitebantur alij Ieſu & Mariæ nomina ingeminabant, atque interea miſerabilem vitam meliore commutabant. Hoc vbi Gentiles conſpexêre vehementiſſimè commoti ſunt, & ipſe Iudex ſenſus acerbitatem, quod homines ab omnibus tanti æſtimatos & indubiè ſan-

ctos

ctos tam crudeli morte ſuſtuliſſet, ſupprimere diutius non ſuſtinuit, ſed in amariſſimas copiosè lacrymas prorupit. Nondum confecta erant omnia, quæ ipſius præſentiam flagitabant dolor tamen victus omnia prætorem *Nangaſachienſem* exequi iuſſit; agitante mentis æſtu domum iter arripuit.

Alius *Iapon* non vltima pars huius tragœdiæ, conſtanti morientium hilaritate viſa & admiranda in inimicos benignitate, qua pro Regis omniúmque ſalute deprecati erant, audita, lacrymis vbertim manantibus ad *Luſitanum* quempiam accurrit, eúmque complexus, Chriſtianum ſe illum, quem ipſe è ſacro fonte ſuſtuliſſet, eſſe plorabat, ſed eheu! malum, vt qui à Chriſto defeciſſet, innoxióſque *cruci* affigere adiuuiſſet.

Omnium poſtremus *S. Petrus Baptiſta* ſæpius iam laudatus, vir *Apoſtolorum* æmulus, vita exceſſit, poſtquam eum magno animi ſui ſolatio tam *filios*, quàm *ſocios* ſuos adeò ſtrenuè accumbere vidiſſet ſingulíſque bene precatus fuiſſet. Etiamnum manum benedicenti ſimilem, quantum per vincula licuit, retinuerat, cum carnifex eum transfixurus accederet, quem in vicinia iam conſpicatus, vt Deus animam ſuam commendatam haberet, enixè obteſtatus eſt, ſimúlque atrocibus duobus vulneribus traiectus properantem per hiatus vitam in Creatoris ſinum eiecit, Ebullijt per apertum

pertum latus sanguis velut diuini amoris incendio feruidus; & circumstantium mentes luculento ardore corripuit; qui magnitudinē gloriæ Christi quæ in triumpho hoc eminebat, magnificis laudibus prædicârunt.

Christianam sapientiam penitius docti, hunc *SS. Martyrum* obitum honorificum apprimè æstimârunt, rati felicissimos eos esse, quibus honestissimo hoc vitæ compendio ad æterna Cœlitum gaudia transire licuisset: Nec lacrymas continuerunt, Sanctissima IESV & Mariæ nomina repetentes. Prohibebant eos Ethnici ad *cruces* propiùs accedere; eminus ergo illi in genua procumbere; actísque Deo gratijs *Sanctos* venerari cæperunt; multo interea altiores radices orthodoxa fide in eorum pectoribus agente, quod hos Christi milites pro ea tam animosè occumbere vidissent. Felices quidam Religiosos hos proclamabant; quod caducarum opum egeni *Iaponiam* intrâssent, ex eadem diuites in cœleste regnum egrederentur, cū læto *Sociorum* comitatu, quos laboriosâ sua *Charitate* ad Christum deduxissent. Alij lætitiâ in patriam conuersâ fortunatum *Iaponiæ* Regnum, fortunatum *Nangasachium* dicebant, cum *Martyrum* sauguine nobilissimo vtique rore irrigata peculiarem eorum Patrocinio lucem sperare possent, quà errorum nocte discussa, veritatis dies magis magísque promoueret. Alij demum se felices arbi-

arbitrabantur, quod ſuis oculis vidiſſent ea, quæ magno cum deſiderio de alijs hactenus legerant, vel prædicari audierant; omnes cõſpectu adeò inclyti *Sanctorum* exercitus lętiſſimi.

Actus eſt triumphus iſte anno à partu Virgineo *1597. Mercurij die, Februarij quinta, hora apud Iapones 10. apud Europæos 4. crucibus* in orbem diſpoſitis, in quibus *IESV Christi* omniũ *Martyrum Principis*, tantæq; gratiæ largitoris ectypon ſeſe ſanguine ſuo generoſa iſta cohors depinxit, feſto *S. Agathæ* ſacro, cuius moriens veſtigijs inſtitit, ad immaculati agni nuptias abitura.

Sed ne horum *SS*: innocentia cuiquam obſcura eſſet, mortis ſententia palo ſublimis appenſa eſt, omnibus indicio futura, illos non aliam ob rem, quàm ob Chriſtum, vel Regno illatum, vel ſuſceptum, tam diræ morti addictos fuiſſe.

Corpora eorum *Iaponiæ* Epiſcopus (erat is *è Societate IESV* ad id munus euocatus) cum reliquis *PP.* & Chriſtianis profuſè veneratus pijs lacrymis proſecutus eſt. Incredibile dictu auditúque videbatur, mortuorum aſpectum adeò lætum & gratum fuiſſe, vt nihil deformitatis in vultus, aliorúmue membrorum conformatione inueniretur: alijs viuidos in cælum oculos aperientibus; alijs capita, ſed cum amæno decore inclinantibus. Omnium Gentiliũ vox fuit, Prodigioſam eſſe hanc *SS. Mar-*

*tyrum* venustatem, quæ in nullis eò vsque si-
mili modo occissis fuerit animaduersa.

Auxit pulchritudinis miraculum, odor in ijs, licet tam multis, minimè grauis: qui alios in *cruce* peremptos inter prima vitiare solet, vt experientia illis ipsis diebus comprobauerat. Imò nec vllus *coruus*, frequens per ea loca *prædonum genus*, atq; *rapax*, quod vel intra quatriduum de *cruce* pendentibus oculos effodiat, *Sanctis corporibus* illusit.

Non *primis* tantum *horis* ille cultus formæ & decoris vigor inuentus est; *Quadraginta quatuor diebus* pòst *Lusitani Meacum* appulêre, qui vt oculati testes esse possent, spectatum sacra pignora egressi erant, & retulêre, eandem etiamnum elegentiam non defecisse, vt ex relatione à *summo Chinæ Visitatore*, ita appellant, facta liquet. Fuêre, qui asseuerarent, *F. Petrum Baptistam biduo* iam à morte elapso, cùm digitus pedis maior ipsi præcisus, dentésque euulsi essent, copioso sanguine manasse, nec in multas horas stillas stetisse.

*Manilæ* testes rei præsentes, & solemni ritu interrogati edixerunt, *sexagesimo secundo* à cæde *die* corpus eius *ter* in *cruce* nemine concutiente, intremuisse, miróque candore fulgidũ abundantem è confossi pectoris latere sanguinem profudisse, quo cognito Christianos vndique confluxisse, pannósque sacro cruore tinxisse. Id naturam excedere visum est, quod

*Ioannes*

*Ioannes Baptista* quidam, *Miles Italus*, qui cum *Lusitanis* ad *Sanctorum Martyrium* aduenerat, magnam vim sanguinis *BB. Pauli Micchi*, *F. Petri Baptistæ*, *F. Martini*, *& alterius Iaponis* pallio suo collectam, in *Porcellanâ* dein *ampullâ* asseruatam post *nouem Mensium* interuallum aperuerit, & contrà, quàm exspectaret, fluidam, recentíque simillimam, nec vllo malo odore corruptam inuenerit. Interfuêre huic spectaculo testes locupletissimi *Episcopatus Magnæ Chinæ summus Vicarius*, *è Sancti Dominici familiâ vnus*, *sex è Diui Francisci*, *è Societate duo, aliíque* complures, quos inter *Medicus* erat; omnes adeò insolito euentu attoniti.

Funeribus his etiam cælum illustria iusta persoluit, primâ enim *diei Veneris* Nocte supra pendentium *cruces*, *tres* radios Columnæ formam imitantes, insigni splendore coruscos spectandos dedit; Deo, vti talibus in casibus augurari licet, manifestante, & cælum eorum gloriæ testem esse, & eos vel mortuos *Iaponiæ* lampadem fore. Quæ *media* earum apparuit, cùm *duabus horis* aspectabilis hæsisset, sese loco mouit, supérque templum *Societatis IESV* lapsa euanuit, reditura tamen; nam sequenti mox *nocte*, licet pręter morem tenebrosâ, multo fulgore rediuiua resplenduit. Viam verò, quam Columna lapsu suo descripserat, copiosæ scintillæ, stellarum instar occupauerunt.

Multo deinde tempore *ſingulis diebus Veneris alia ſidera* loco *Martyrij* imminere viſa ſunt, luminum ſpeciem præſeferentia, quæ longo ordine velut ad ſupplicationis pompā diſpoſita procedebant, atque ad *Noſocomium*, quod primum *Franciſcanis* eò aduenientibus diuerſorium fuit, pergebant, inde denique in *Eremum Beatiſſimæ Virginis* profecta.

*Quatuor* horum *Miraculorum* in Relationibus *SS. Martyrio* probatis, impendio Deus pro ſuâ in Electos charitate palam fecit, quantâ *Martyres* hi in cælis gloriâ, & in terris cultu vndique ipſis exhibito meritò fulgeant: Quem ipſius in terra Vicarius *S. D. N. VRBANVS VIII.* adiuturus *Anno 1627.* omnibus è *Societate* de his tribus *Sanctis* faciendi Sacrum, & Diuinum recitandi Officium poteſtatem fecit, quam *1629. Anno* ad omnes Sacerdotes templum *Societatis* adeuntes extendit.

*Omnia ad Maiorem DEI, Deiparæ, & SS. gloriam & honorem.*

INDEX

# INDEX RERVM
## præcipuarum.

### A.



### C.



### D.

Mira-

Soda.

| Pag. | Versu, | Lege, |
|---|---|---|
| 12. | 15. | Sed, |
| 18. | 16. | percepit, |
| 23. | 24. | exegit. |
| 29. | 18. | Sodalem. |
| 30. | 14. | Tufo. |
| ead. | 21. | promanaret. |
| 46. | 27. | fieri. |
| 47. | 15. | posterioribus. |
| 56. | 7. | premebatur. |
| 61. | 3. | altera. |
| ead. | 18. | sanârat. |
| ead. | 27. | acciderunt. |
| 64. | 14. | vt nunc,adde,me. |
| 69. | 10. | in. |
| 74. | 4. | quædam. |
| 81. | 22. | quos. |
| 82. | 4. | firma. |
| 84. | 9. | breui. |
| 86. | 21. | addit P. |
| 89. | 14. | mensæ. |
| 90. | 5. | promontorium |
| ead. | 9. | lætum. |
| 99. | 11. | corporea. |
| 102. | 8. | diabolum. |
| 105. | 18. | deliria. |
| 106. | 9. | eis. |
| 115. | 27. | quonam. |
| 127. | 18. | reliquis. |
| 134. | 6. | rogitare. |
| 140. | 18. | Harpen. |
| 147. | 15. | Recollectos. |
| 149. | 4. | Mahometo. |
| 152. | 4. | in hoc. |
| 153. | 16. | sacrilegum. |
| 166. | 2. | momento. |
| 178. | 26. | quin pericula. |
| 179. | 21. | omnium. |
| 186. | 5. | virgulto. |
| 191. | 12. | inuicta. |
| 207. | 11. | operari. |
| 208. | 4. à fine. | quia nam. |
| 229. | 11. | faciet. |
| 239. | 26. | memoriam. |
| 240. | 10. | suspicerent. |
| ead. | 27. | vltimum. |
| 254. | 14. | cicatrice. |
| 256. | 9. | Fidei. |
| 257. | 10. | parturitione. |
| 259. | 17. | pro. |
| 267. | 4. | Societate. |
| ead. | 5. | conuersione. |
| 296. | 26. | tentatus. |
| 301. | 19. | persecutione. |
| 304. | 21. | innumerarum. |
| 308. | 26. | nobilitatæ. |
| 309. | 9. | exomologesi. |
| 312. | 4. | elementorum. |
| 314. | vlt. | pôst |
| 315. | 27. | abducendus. |
| 317. | 19. | vsque. |
| ead. | 22. | Rex. |
| 321. | 3. | remouebant. |
| 324. | 19. | Subiecit. |
| 328. | 27. | conuolârat. |
| 330. | 9. | perseuerate. |
| 331. | 5. | rerum. |
| 332. | 3. | à carnifice. |
| 333. | 23. | desinerent. |
| 334. | 7. | cum. |
| 335. | 5. | dolore. |



